MANUALE
CONFESSARIORUM
ORDINIS
CAPUCCINORUM,

AUCTORE

F. BERNARDO

à BONONIA

Ibidem S. Theologiæ LECTORE.

VENETIIS 1737. IMPRESSUM,

CRACOVIÆ

TYPIS UNIVERSITATIS

REIMPRESSUM.

SUPERIORUM PERMISSU.

Annô Domini 1752.

DE Rev P. Gen. Mandato Opusculum attentè perlegi, cui Titulus est: *MANUALE CONFESSARIORUM ORDINIS CAPUCCINORUM* à R. P. BERNARDO à Bononia Compositum: Ex quo sicut solita Auctoris ingenii dexteritas panditur, qui ex floribus vastissimi Sacræ Theologiæ Moralis hortus hinc inde sparsis fasciculum Confessoribus valdè utilem, ac ob eorum odorem, parvitatemque præ manibus faciliùs tenendum, mira suavitate confecit: Sic cum nihil à Catholica Fide, Apostolicis Sanctionibus, bonisque Moribus alienum contineat, non est cur, ut Typis mandari possit, impediatur. Ita censeo, salvo semper meliori judicio.

Romæ in Conventu Immaculatæ Conceptionis 13. Martii 1737.

Fr. Joachimus à Barcinone,
S. Thologiæ Prælector, ac
Secr. Rev. P. Gen. Capucc.

EX commissione Reverendissimi mei P. Generalis legi attentè *MANUALE CONFESSARIORUM*, à R. P. BERNARDO de Bononia Conc. ac SS. Theologiæ Lectore compilatum cumque in illo omnia soli-

dæ

dæ doctrinæ conformia, & fini intento opportuna extent, id typis mandandum esse censeo.

Romæ 16. Maii 1737.

Fr. Michael Jugiensis Capucc. I. Secret. Generalis Germaniæ, & antehac S.S. Theologiæ Lector.

Nos Fr. Bonaventura à Ferraria totius Ord. FF. Minorum Sancti Francisci Capuccinorum Nuncupatorum Minister Generalis (l. im.)

CUm Opus, cujus titulus est *MANUALE COFESSARIORUM Ordinis Capuccinorum* à P. Bernardo à Bononia nostri Ordinis Concionatore, ac Sacræ Theologiæ Lectore compositum, duo ejusdem Ordinis Nostri, quibus id commisimus recognoverint, & in lucem edi posse probaverint tenore præsentium, facultatem impertimur, ut servatis Reliquis de Jure, ac more servandis, Typis mandetur, si iis, ad quos spectat, bene in Domino visum fuerit.

Datum Romæ die 15. Martii 1737.

F. Bonaventura Min. Gen.

CEN-

CENSURA ORDINARIJ

MANUALE CONFESSARIORUM ORDINIS CAPUCCINORUM.

REIMPRIMATUR.

M. CASIMIRUS PAŁASZOWSKI, Sacræ Theologiæ DOCTOR & PROFESSOR, CANONICUS Cathedralis Cracovienſis, &c. Librorum per Diæceſim Cracovienſem CENSOR.

Datum Cracoviæ in Collegio Majori Univerſitatis Cracovienſis Die 22. Februarii. Annô Domini 1752. *mmpr.*

ELENCHUS

§)(✠)(§

ELENCHUS MATERIARUM quæ in hoc Opusculo continentur.

De Confeßariorum Institutione.

CAPUT I.

De Confessario eligendo.

CAPUT II.

De Potestate Confessarj intra Ordinem.

CAPUT III.

De

De Potestate Confessarij extra Ordinem.

CAPUT IV.

De Casibus Reservatis.

CAPVT V.

De Præsentatione pro Reservatis.

CAPVT VI

De

De Recurſu ad Sacram Pœnitentiariam.

CAPVT VII.

FINIS.

MANUALE CONFESSARIORUM, *ORDINIS* CAPUCCINORUM.

NOn eſt hujus operis inſtitutum omnia enucleare, quæ ad Pænitentiæ Sacramentum pertinent; ſed potius iis omnibus, quæ à Theologis de hoc Sacramento traduntur, hic ſuppoſitis, illa ſolum recenſere, quæ præſertim Confeſſarios noſtri Capuccinorum Ordinis in hujus Sacramenti adminiſtratione cognoſcere non ſolum juvat, ſed eſt neceſſe. Longe proinde à diſputationibus ſemper erimus; ſed brevi, & expedita methodo omnia abſolvemus: ut ſic brevitate, & opportunitate doctrinæ merito Libellus hic veluti Manuale noſtrorum Confeſſariorum habeatur.

Omnia non ex penna noſtra tantum prodiiſſe cunctis ſit perſuaſum; ſed tum ex Canonum, vel Conſtitutionum Pontificum Decretis, quæ non citata ab aliis, ſed proprio de fonte excerpere volui: tum ex Deciſionibus Capitulorum noſtrorum Generalium, quas non ſolum ex tutis locis ſelectas, ſed ex noſtra Romana Curia firmatas, accepi: tum tandem ex probatioribus Doctoribus, quos tamen ſingillatim nominare ampulloſis illis citationibus non ſum delectatus, ſed potius vulgares aliquos, verum probatos Auctores, qui ad manus ſunt omnium: nam illis nimirum, qui bibliothecas terere nequeunt, junioribus ſcilicet; vel ſimplicioribus Confeſſariis, libellus hic eſt addictus.

DE

DE CONFESSARIORUM INSTITUTIONE.

CAPUT I.

§. 1.

Quis Ordinariam habeat facultatem excipiendi Confessiones.

OMnis Sacerdos eo ipso quo est ordinatus, potestatem accipit ad Confessiones audiendas; sed non eo ipso facultatem, obtinet hoc munus re ipsa exercendi. Hinc ut quis hoc munus obire valeat, requiritur vel Dignitas officii, quæ de se ordinariam tribuat facultatem; vel saltem Delegatio ab habente ordinariam facultatem.

Hanc ordiariam facultatem ex officio apud nos habent omnes Prælati, scilicet Generalis in toto Ordine, Provinciales in suis Provinciis, Commissarii in locis, ad quæ extenditur eorum Commissio, & Gvardiani in suis Conventibus.

Quoad Gvardianos licet isti veri sint Prælati, tamen nonnisi Parochorum auctoritatem habent, ut optime Bonagratia *v. Gvard: n.* 209. unde possunt & ipsi pro sua Familia deputare in Confessarios Sacerdotes etiamsi advenas, dummodo aliâs fuerint approbati; sed hoc solum in aliquo necessitatis casu, v. g. quia alii Confessarii deputati sunt absentes, ægrotant &c. Nam ordinarie dempta est eis talis facultas à Prælatis majoribus, ut sic etiam de Parochis resolvunt communiter Doctores.

Definitores sive Generales, sive Provinciales & Custodes ordinariam non habent facultatem excipiendi Confessiones, sicuti resolvit Capitulum Generale 1698. contra Vecchium, Bonagratiam &c. perperam adducentes in oppositum responsionem Cap. Gener. 1633. Sed hanc facultatem attendere debent à Prælatis, prout ipsis fuerit commissa: & ita revera etiam fert praxis.

§. 2.

Delegatam facultatem quomodo quis obtineat.

CÆteri, qui hanc ordinariam potestatem non habent, nonnisi ex delegatione, ut diximus

diximus, audire possunt Confessiones. Duo autem ad hoc requiruntur, quæ sunt valde notanda, nempe Approbatio, & Jurisdictio.

Approbatio est publicum testimonium à Superiore præstitum, quod hic, aut ille sit idoneus, ad Pœnitentiæ Sacramentum administrandum. Hoc autem fieri potest vel, explicite; cum scilicet Superior examinat, & Examinatum pronuntiat voce, aut scripto idoneum: vel implicite idest cum promovet aliquem absq; alio examine, & declaratione ad officium Confessarii.

Jurisdictio vero (loquendo de delegata) est Jus acceptum à Superiore audiendi Confessiones, seu melius ferendi sententiam sacramentalem in suos subditos.

Hinc patet unius ab alia discrimen. Nam verum est equidem quod omnis habens Jurisdictionem habet etiam Approbationem, quatenus superior, ex hoc ipso quod ei munus Confessarii contulit, ipsum etiam reputavit idoneum ad tale munus. Sed non è contra omnis habens Approbationem habet etiam Jurisdictionem, quia judicium habilitatis non est idem ac collatio auctoritatis.

Præterea semel approbatus semper est approbatus; nam non cessante capacitate approbati non potest neque cessare judicium ap-

probantis. At ſemel habens, ſeu recipiens Jurisdictionem non ſemper Juriſdictionem retinet; quia hæc pendet à Superioris arbitrio, qui illam tribuit uſquedum ſibi videtur: quo proinde elapſo tempore omnis Juriſdictio ad Confeſſiones excipiendas oportet ut ceſſet.

§. 3.

Ab Epiſcopis an, & quomodo expetenda ſit Approbatio, vel Juriſdictio.

Ex his ad inſtitutum noſtrum infertur, quod cum tam Approbatio, quam Juriſdictio ſit à Superiore tribuenda, ut exerceatur circa ſuos ſubditos, hinc diſtinguendum eſt de ſubditis, quorum confeſſiones ſunt audiendæ. Vel enim ſunt Fratres Ordinis noſtri, & ſic cum iſti ſint tantum ſubditi noſtrorum Prælatorum, ideo ab iſtis ſolis, non autem ab Epiſcopis ad eorum Confeſſiones audiendas tam Approbatio, quam Jurisdictio eſt expetenda. Vel ſunt Sæculares, & tunc cum iſti ſint ſubditi ſuorum Epiſcoporum, Approbatio ſaltem ab eorum diæceſanis Epiſcopis eſt poſtulanda.

Dixi *Approbatio ſaltem*, quia regulares exempti (uti nos ſummus) in hoc privilegium obtinu-

obtinuerunt *ex Clem: Dudum de Sepulturis*: ubi Pontifex, quatenus Epiſcopus Epiſcoporum, tribuit de ſe immediate, & pro ſemper ejuſmodi Regularibus Juriſdictionem audiendi omnium Chriſti fidelium Confeſſiones; cum onere tamen ſe præſentandi Epiſcopis diæceſanis, & ab eis Approbationem obtinendi: ſicuti & Tridentinum *ſeſſ*: 23. *cap*: 15. univerſaliter hanc Epiſcopi Approbationem ad Sæcularium tum laicorum, tum Sacerdotum Confeſſiones excipiendas determinavit.

Cautum inſuper eſt à pluribus Pontificibus, ne Epiſcopi hanc Approbationem Regularibus denegarent, ſi idonei reperiantur. Noviſſime, & adhuc expreſſius Clemens X. in ſua Conſtitutione 7. *Superna*. §. 4. hæc notabilia decrevit, nempe, Illos Religio-
„ ſos. qui ad Confeſſiones audiendas ido-
„ nei generaliter reperti fuerint, ab Epi-
„ ſcopis generaliter quoque, & indiſtincte
„ abſque aliqua limitatione temporis, certo-
„ rumque locorum, aut generis perſonarum
„ in Diœceſi propria admittendos eſſe.
„ Quoad cæteros vero, qui non adeo ido-
„ nei reperiuntur, ſi petierint ſe admitti,
„ arbitrio Ordinariorum relinqui, ipſos cum
„ limitata facultate, prout eiſdem Ordina-

„ riis magis expedire videbitur, probare,
„ & admittere. Semel autem simpliciter
„ approbatos posse in Diœcesi Episcopi ap-
„ probantis quovis anni tempore, etiam
„ paschali, & qorumcunque etiam infirmo-
„ rum Confessiones audire absque ulla Pa-
„ rochorum, vel ipsius Episcopi licentia.
„ De qua tamen Confessione teneri dictos
„ Religiosos eorundem infirmorum Paro-
„ chum illico cert orem reddere, &c Et
§. 5. decernitur, hujusmodi Regulares non posse iterum examinari ab eodem Episcopo, secus autem si ab ejus Vicario, aut ab Antecessore Episcopo fuissent approbati. Et tandem §. 6. omnes unius Conventûs Religiosos ab Episcopo quoad Confessiones audiendas suspendi posse negat, & prohibet.

Sed quinam censentur generaliter seu simpliciter approbati? Illi, quibus ab Episcopo non fit exceptio expressa in contrarium. Solæ autem Litteræ patentes restrictæ non sunt exceptio, sed ipsa restrictio: & earum acceptatio non est semper conventio de illa restrictione, quia Regularem, qui accipit, nec juvat, nec decet reluctare; ideoq; accipit invitus.

Quid igirur si Episcopi his privilegiis stare nolint? Nemo melius, & prudentius, quam

P. La

P. La Croix *l. 6. p. 2. n. 1245.* ubi de iterato examine hæc ait: *Si tamen Regularis ad examen revocetur, frustra se opponet, quia Episcopus facilepratendet causam, quæ præsumi debet justa, quia pro ipsius auctoritate erit possessio.* Verum tamen est non sine injustitia Episcopos hujusmodi Regularium Privilegiis contradicere, maxime iis ad examen prius subjectis.

Defendunt aliqui, inter quos P. Reiffenstuel *tom. 4. Jur. Can. l. 5. n. 259.* privilegium hoc adhuc subsistere, nempe: quod Regularis semel approbatus ab aliquo Ordinario itinerando in locis, ubi non est personaliter præsens Episcopus, possit sine approbatione illius Ordinarii Confessiones excipere. Sed fateor difficilis esse probationis, & nunquam, vel forte nonnisi cum multis restrictionibus in praxi tenendum: v. g. quod Regularis ille itineretur ad Missiones peragendas &c.

§. 4.

De Dependentia à Prælatis Ordinis.

AD easdem Sæcularium Confessiones audiendas requiritur insuper Approbatio, & Deputatio Prælatorum Ordinis, uti statuitur in *cit. Clem: Dudum*: imo hanc præ illa Episcoporum necessariam esse docent Do-

ctores. Unde Regulares, quos supra diximus non posse ab Episcopis restringi, opus tamen est ut stent suorum Prælatorum restrictionibus quoad tempus, locum, Personas &c.

Quid vero si Regularis sine suorum Prælatorum licentia, & cum sola Episcopi facultate Confessiones Sæcularium exciperet? Certo Certius quod hoc faceret illicite. Num autem valide absolveret ‡variant Doctores. Sed dicendum quod invalide, quantum est de se; at ex titulo colorato validæ forent hujusmodi Confessiones.

Si Regularis alterius Ordinis, qui possit apud exteros Confessiones facere, ad nos accedat, potest cum sola licentia sui Superioris etiam localis quilibet Confessor ex nostris deputatis ejus Confessionem audire, & non exigitur Approbatio, seu facultas Episcopi. Ratio est, quod Tridentinum jam citatum exigit solum Approbationem Episcopi quoad Confessiones Sacerdotum Sæcularium, non autem Regularium. Item Gregorius XIV. qui in sua Bulla 6. *Decet Seraphicam;* Capuccinis prohibuit Confessiones audire sæcularium, in eis non comprehendit Regularium Confessiones. Si tamen dicti Regulares confiteantur peccata reservata in suo Ordine, vel remittendi sunt ad suos Prælatos,

tos, vel si necessitas urgeat, absolvendi sunt cum onere se adillos præsentandi.

„ In Monasteriis, ubi juxta regularia insti-
„ tuta vivitur, possunt, tam Prælati Regu-
„ lares, quam Confessarii Regularium eo-
„ rundem Monasteriorum absque Episcopi
„ licentia audire Confessiones illorum sæ-
„ cularium, qui inibi sunt verè de familia,
„ & continui commensales; non autem illo-
„ rum, qui tantum illis deserviunt. Ita Clemens X. *in cit. Const. Superna.* §. 4.

Quinam autem sint isti Commensales, quorum Confessiones Religiosi nostri excipere possint, dicendum est illos Sæculares tantum esse, qui intra nostros Conventus sunt Fratrum servitio addicti, & ibi diu noctuque degunt, Conventûsq; victu aluntur. Qui autem in Conventu toto quidem die inserviunt, & victum ab eo recipiunt, sed noctu domum propriam adeunt, non possunt sic apud Fratres Confessiones facere; quia vere non sunt nostri continui Commensales, & multo minus vere nobiscum sunt de familia, cum potius familiam alibi teneant.

Tandem sine dependentia tum Episcopi, tum Prælati Regularis, juxta Tridentinum *sess.* 14. *c.* 7. quilibet Sacerdos etiamsi non appro-

approbatus, ſuſpenſus, & excommunicatus in mortis articulo poteſt quoslibet Pænitentes à quibuslibet peccatis, & cenſuris abſolvere.

§. 5.

Extenſio Approbationis, & Iuriſdictionis intra Ordinem.

APprobatus ad aliorum Fratrum Confeſſiones audiendas, non proinde cenſetur approbatus ad Sæcularium Confeſſiones. Approbatus vero, & deputatus ad Sæcularium Confeſſiones, etiam ad Fratrum Confeſſiones, cenſetur ſaltem approbatus, imo & deputatus, niſi mens Superioris, aut conſvetudo obſtet. Ratio eſt quia Majus ſecum trahit Minus, at non è contra: & majoris ponderis eſt Sæcularium, quam Fratrum Confeſſionibus attendere.

Quoad Fratres igitur, ſemel approbatus ſemper remanet approbatus: deputatus vero ad munus Confeſſarii exercendum non remanet, niſi pro tempore, & loco ſibi à Prælato præſcripto.

Quare Confeſſarii unius Conventûs, cum deputentur à Prælato ſolum pro illo Conventu, in quo degunt, & uſque tantum ad proximum futurum Capitulum; ideo in aliis Conven-

Conventibus excipere Fratrum Confessiones non valent, & elapso illius Capituli tempore, etiam in proprio Conventu à munere Confessarii est illis cessandum.

Quo die autem hoc tempus pro Confessariis expiret, dicendum illum esse, quo pervenit ad Conventum tabula novæ familiæ, vel accipiuntur Literæ obedientiales, vel aliud certum nuncium de mutatione, seu confirmatione illius familiæ. Ex tunc enim illi Confessarii, si ad aliam familiam deputantur incipiunt esse in illo Conventu veluti hospites; vel si ibi denuo de familia confirmantur incipiunt veluti novam habitationem, unde & nova confirmatione ad Confessarii munus indigent.

Interim vero quia vel non subito alii Confessarii sibi de familia destinati illuc ex aliis Conventibus advenire, & adesse possunt; vel quia non statim tabula novæ familiæ cum nova Confessariorum destinatione à Prælato mittitur: poterit novus Gvardianus, vel adhuc eo absente Vicarius Capitularis (nisi aliter in Tabulis Provinciarum, seu consvetudine sit cautum) licentiam dare prioribus Confessariis, ut suum prosequantur munus, usquedum novi Confessarii advenient vel ipsis nova confirmatio à Prælato mittatur.

Si tamen

Si tamen aliquis ſine hujuſmodi licentia, vel confirmatione proſequeretur ad confeſſiones audiendas, nec licite, nec valide abſolveret, niſi adeſſet conſvetudo, quod confeſſarii à munere non ceſſent; uſquedum in tabula familiæ non videant ſibi demptum Confeſſarii munus. Quæ quidem conſvetudo facile præ ſumitur, ubi Prælati contra huiuſmodi morem non reclamant, vel alia, ab ipſis Prælatis non eſt facta proviſio.

DE CONFESSARIO ELIGENDO.

CAPUT II.

§. I.

De eligendo Confeſſario quoad permanentes in Conventu,

CAvetur in NoſtrisConſtitutionibus, ne Confeſſarius ſemel electus amplius ſine licentia mutari poſſit: quod quidem eſt intelligendum, niſi interveniat aliqua juſta cauſa, v. g. infirmitas, abſentia proprii Confeſſarii &c. Qui tamen apud Superiorem Confeſſiones faciunt poſſunt, ſine licentia

licentia alios eligere juxta Decretum Clementis VIII. 1593.

Juvenes nostri usque ad quartum Religionis annum, & multo magis Novitii, qui juxta Constitutiones nostras Gvardianis, vel Magistris confiteri debent, sine eorum licentia ad alios Confessarios accedere nequeunt. Quod si tamen accedant, illicite quidem, quia regularis disciplina confunditur, sed tamen valide absolventur, quia per dictum Clementem VIII. tribuitur promiscue Confessariis deputatis facultas absolvendi quoscunq; de familia, sicuti illi Juvenes, & Novitii revera sunt. Et licet quidam huic decisioni contradicant ex vivæ vocis Oraculo Urbani VIII. *5. Jan.* 1630. facto nostro P. Procuratori supplicanti; tamen illud non est nisi extensio Decreti Clementis VIII. etiam ad Juvenes prædictos quadriennium non excedentes: & post ipsum Oraculum, nempe 1637. & 1650. datæ sunt à Capitulo Generali Responsiones nostræ doctrinæ omnino conformes, quas citat Bonagratia *v. Absol. quoad Fratr. n. 30.*

Opportune etiam noster Vecchius *in Praxi Novit. d. 9. dub 3.* notat, Novitios non posse Confessario à solo Episcopo deputato suam Confessionem facere, quia non Episcopi, sed

Prælati

Prælati regularis ipsi licet nondum professi censentur subditi. Si tamen facerent, nescio videre quo jure possent certo dici invalide absoluti. Melius adhuc *dub. seqv.* docet, Sæcularem, qui in Novitiatu per dies aliquot moratur, ut Novitii assumat habitum, non solum posse apud Magistrum suam Confessionem facere generalem, cum sibi est animus in Religione perseverandi, sed etiam superveniente impedimento, quo cogitur redire ad sæculum, potest istam Confessionem generalem apud eundem terminare, si jam incepit.

Siquis Religiosus renuat confiteri suo Confessario, & aliis deputatis Conventûs, & hoc ob rationabilem causam, nempe ob grave malum quod timet vel animæ, vel corporis; potest à Gvardiano impetrare licentiam confitendi apud alium Sacerdotem non deputatum ejusdem Conventûs, vel etiam advenam, dummmodo alias fuerit approbatus. Quid vero si Superior deneget hanc facultatem? Si irrationabiliter deneget, certe ipse graviter peccat, cum in re gravi non succurrat ovi ex suo grege. At ipse subditus (sive rationabiliter, sive irrationabiliter Prælatus deneget) non potest uti licentia tanquam rationabiliter præsumpta: quia

quia Jurisdictio, quæ hic exigitur pendet non solum ab æquitate, sed à mero arbitrio Superioris.

At præsumitur saltem (inquies) in hoc casu placitum Superioris majoris, quia videlicet si in tali casu, & multo magis in aliqua necessitate interrogaretur, facile ipse jurisdictionem concederet. Verum neque hujusmodi Præsumptio valet, tum ob rationem modo datam; tum quia est ratihabitio de futuro saltem conditionato, *si interrogaretur, daret*, quæ in omnium sensu ad absolutionem sacramentalem est inepta; imò & satis esset perniciosa, cum omnis Sacerdos in qualibet necessitate posset pro suo judicio præsumere de mente Pontificis & ita sine approbatione, & jurisdictione munus Confessarii usurpare, imò & exercere, quod est absurdum. Nam Præsumptio illa solum ut sufficiens admittitur, quæ est de præsenti, & in qua habetur signum aliquod de mente Prælati, v. g. quia videt, & tacet &c. Et licet Urbanus VIII. per Decretum S. Congreg. Conc. 21. *Sept.* 1624. concesserit Confessario petenti, & non obtinenti à Superiore facultatem absolvendi ab aliquo reservato, ut pro illa tantum vice haberet facultatem, sicuti si esset illi data; tamen hic est

casus extraordinarius, & concessio singularis, ex qua regula universalis statui nequit.

Gvardiani jure parochiali possunt in Confessarium sibi deligere quemcumq; Sacerdotèm etiam non deputatum de sua familia, imò & advenam alterius Provinciæ, etiamsi hujusmodi Sacerdos nunquam fuerit approbatus. Quod licet non valeat de Parochis quibus Gvardiani assimilantur, hoc evenit quia de illis aliter expressit Tridentinum (ut benedicit Viva *in prop: 16. Alex. VII. n. 13*) istos vero dispositioni suorum Prælatorum reliquit qui idcirco in Nostro Ordine hoc Gvardianis permiserunt, dummodo non habeant reservata, à quibus sint absolvendi, ut constat ex Decisione Cap. Gen. 1685. Quod autem dicitur de Gvardianis hoc vult Bonagratia *v. Confessarius n. 95.* ex Decisionibus Capit. Gener. 1633. & 1643. dicendum esse de Vicariis, verum solum cum Gvardianus abest, & illi in suo Conventu morantur, nam cæteroquin ipsi sunt sicut alii subditi.

§ 2.

Quoad Itinerantes.

DE Itinerantibus postea loquendo, certum est primo, Confessarium deputatum

tum

tum pro aliqua Familia posse ubicumque Confessiones Fratrum suæ Familiæ excipere, nam Jurisdictio non contentiosa ut est ista, etiam in alieno territorio exercetur. Gvardiani postea ex suo privilegio, quod nuper diximus (quatenus illiud est personale, non locale) possunt ubique quemlibet Sacerdotem in Confessarium sibi assumere, sicut in proprio Conventu.

Pro aliis autem casibus valeat *Decisio* à nostro Capitulo Generali sæpè facta, & postremò Annô 1662. Sic expressa Fratribus, qui cum obedientia suorum Superiorum iter faciunt, & aliàs Confessiones audiendas admissi sunr, conceditur ut in locis intermediis sui itineris unus alterius Confessionem excipere valeat. Quando autem ad loca destinata pervenerint, sive ut ibi sint de corpore familiæ, sive causâ cujusdam negotij commoraturi, facultas hæc sibi invicem confitendi adimitur. Quare quamprimùm teneantur confiteri deputatis illius Conventûs Confessarijs.

DE POTESTATE CONFESSARII INTRA ORDINEM,

CAPUT III.

§. 1.

Quomodo in Ordine nostro Confessarii potestas extendatur,

SUpponendum est ex Const. 21. Clementis VII. *Religionis zelus*, & ex Constit. 11. Pauli III. *Exponi nobis &c.* nostrum Capuccinorum, Ordinem Apostolicæ Sedis clementia participare, & penitus gaudere omnibus privilegiis, indultis, & gratiis jam concessis, vel deinceps concedendis, omnibus aliis Ordinibus tam Mendicantium, quàm non Medicantium. Unde privilegia, quæ pro aliis Regularibus quoad Confessionem citantur, nullum est dubium nobis quoque eodem modo favere.

Deinde cum potestas Confessariorum non habentium ordinariam potestatem dependeat à delegatione Prælatorum, prout ipsi magis, vel minus ample concesserint, pro nostri Ordinis Confessariis hæc delegatio est amplissima. Nam *Mos apud nos Capuccinos*

nos viget (ait P. Vecchius in praxi d. 9. dub. 7. n. 3. cui quilibet alius ex noſtris Scriptoribus, & praxis ipſa concordat) *ex Generalis Capituli* 1613. *indulgentia, ut omnes Superiores locales, nec non & Confeſſarii deputati valeant in foro conſcientiæ tantum abſolvere, diſpenſare, habilitareque in omnibus, in quibus poteſt ipſe Generalis juxta pœnitentium indigentiam, propter uſum ſolummodo Sacramentorum, & non ultra, & cum obligatione pœnitentibus ſe præſentandi coram Superiore pro caſibus reſervatis.* Proinde quæ de poteſtate Prælatorum Regularium mox dicemus, quoad nosvalebunt etiam (pro foro tamen ſolum interno) de poteſtate noſtrorum omnium Cenfeſſariorum.

His præhabitis certant equidem Doctores inter ſe á quibus peccatis, vel cenſuris Prælati regulares abſolvere valeant; ſed ommiſſis difficultatibus, quas inter alios optime ſolvit P. Felix Poteſtas *tom.* 1. *à num.* 3372. referam quæ faciunt pro favorabiliori, ſimul & probabiliori ſententia, fundata in pluribus Privilegiis ampliſſimis Pontificum quæ veluti demum colliguntur in Conſtitutione 129. S. Pii V. *Dum ad Congregationem Caſſinenſem.* Et ſunt ſequentia.

§. 2.

Enumerantur Privilegia.

PRimo possunt Prælati Regulares, & per delegationem omnes nostri Confessarii absolvere subditos suos tam domesticos, quam advenas, tam Professos, quam Novitios (si tamen in Religione persistant, secus in reservationem reinciderent) Conversos Commissos, Oblatos, & Donatos; Moniales sibi subjectas tam propriæ, quam alterius regulæ, Tertiarias claustraliter viventes, & juxta Felicem citatum etiam non claustraliter, & in domibus suis viventes, dummodo votum castitatis emiserint: Omnes istos inquam, absolvere possunt à quibuscunque peccatis, & excessibus commissis vel ante, vel post ingressum in Religionem, etiam reservatis Sedi Apostolicæ: insuper ab omnibus Casibus in Bulla Cœnæ contentis: & tandem ab ipsamet hæresi occulta, ur nominatim concessit Gregorius XIII. Societati Jesu, quamvis ipsa Societas huic privilegio pro se tamen solum cesserit.

Secundo eos possunt absolvere ab omni Excommunicatione & Suspensione, atque alia qualibet ecclesiastica censura, etiam Sedi Apostolicæ reservata; & quidem Confessarii (ut

rii (ut semper intelligimus) pro solo foro interno, Prælati autem etiam pro externo. Proinde omnes illæ censuræ, quæ & pro ipsis Regularibus fuerunt ab aliquibus Pontificibus sibi reservatæ, ut est illa Sixti V. contra procurantes abortum, contra ingredientes in Monasteria Monialium, contra introducentes Mulieres intra claustra Religiosorum, & aliæ hujusmodi modo non habent amplius reservationem, sed possunt modo dicto intra Ordinem absolvi.

Tertio eosdem rehabilitare possunt in quibuscumque pœnis privationis vocis activæ, aut passivæ, & officiorum ex quocumque delicto contractis: ita tamen ut si delictum sit occultum, quilibet Confessarius in foro conscientiæ, si autem publicum, solus Provincialis rehabilitare possit.

Quarto possunt dispensare cum omnibus supra enumeratis (cum distinctione tamen semper Fori interni, & externi) super omni Irregularitate tam proveniente ex delicto, quàm ex defectu, sicut potest Episcopus; imò & forte amplius, nam universalissime loquitur S. Pius V. in citata Bulla, & solum excipit pro Foro externo Irregularitatem, quæ provenit ex mutilatione, seu homicidio injusto, & notorio, commisso post ingressum in Religionem: &

exceptio unius firmat regulam in oppositum. Excipitur quoque Irregularitas contracta ex procuratione abortûs animati: quia ex *c. Si aliquis de homicidio.* tales procurantes ut homicidæ sunt tenendi, ideſt quoad pœnas, & impedimenta. Inanimati autem abortûs procuratio Irregularitatem non incurrit, quia illa non eſt proprie homicidium *c. Quod vero* 32. *quæſt.* 2. ad quem canonem Gregorius XIV. reduxit, et moderavit Conſtitutionem rigidiorem Sixti V. *Effrænatam.* Abſtinendum tamen eſt (ut optime monent Doctores) ab iis Irregularitatibus diſpenſandis maxime ex defectibus corporis, in quibus raro diſpenſat ipſe Summus Pontifex, ut ſervetur dependentia debita, quam in his idcirco à S. Sede habendam eſſe Pontifex ſignificat.

Quinto Prælati diſpenſare poſſunt cum illegitimis Subditis quoad dignitates, & prælaturas obtinendas, & hoc in ſolo Capitulo Generali, vel Provinciali: praxis tamen ad tutiorem executionem fert, ut recurratur ad Pœnitentiariam. Quoad ordines ſacros vero illi habilitantur vi ipſius Profeſſionis.

Sexto ut Privilegium probabile ab aliquibus addmittitur, quod Prælati ſingulis annis primo die Lunæ Quadrageſimæ poſſint di-
ſpenſare

spensare Subditos super omni Irregularitate quavis occasione, vel causa, & quovis tempore contracta. Et hoc ex Constitutione 10. Pauli III. *Exponi nobis* apud Rodriquez. Reprobatum vero fuit à nostro Capitulo Generali 1633. privilegium illud, quo Fratribus concedebatur ter in anno posse à suis Confessariis absolvi ab omnibus casibus reservatis.

Hæc, inquam, omnia sunt pro nobis Jus certum, quod ideo ex Juristarum axiomate non potest tolli per Jus incertum, quale est Revocatio quæ prætenditur, istorum Privilegiorum. Nam Bullæ revocatoriæ, quæ adducuntur (ut est 9. Gregorii XIII. *In tanta.* 115. Clementis VIII. *Quæcumque.* 106. Urbani VIII. *In specula militantis.* & 7. Clementis X. *Superna*) vel sunt quoad Confessiones audiendas Sæcularium, vel certè non tangunt auctoritatem Prælatorum Regularium erga suos Subditos. Imò ipsa Bulla Cœnæ in Derogatoriis nullam restrictionem Regularibus facit, ut consideranti patebit.

Mirum autem esse non debet, si auctoritas Regularium super illam Episcoporum extolli quandoque videatur; nam hoc factum est, ut tollatur Regularibus omnis vagandi occasio (sicuti loquitur Julius II. in Bulla

 17. *Expo-*

17. *Exponi nobis* apud Rodriq.) & ut consulatur eorum quieti, qui pro Ecclesia laborant. Et revera Melphi *de Pœn. c.* 18. *q.* 3. relatus à Felice citato *num.* 3423. refert sibi consulenti S. Pœnitentiariæ Regentem responsum ab eo fuisse, mirari quomodo Regulares ad Pœnitententiariam pro suis Subditis recurrant, cum illi majorem Pænitentiariâ facultatem habeant.

§. 3.

Aliquorum Privilegiorum in praxi expositio.

EPiscopi, Archiepiscopi, & Legati (exceptis Legatis à Latere) certe nequeunt ligare Regulares exemptos ulla censura Ecclesiastica, nisi in iis casibus, in quibus conceditur eis expressa potestas à Pontifice, vel à Concilio. Si igitur eveniat ut Regularis ab Episcopo &c. excommunicetur, vel suspendatur, stare debet sententiæ, sed non propterea indiget, ut reipsa absolvatur ab Episcopo, cum Prælatus Regularis tam pro foro interno, quam externo juxta privilegia maxime Pauli III. in Constituit 48. *Licet debitum*, facultatem habeat suos Subditos absolvendi *A quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis & sæcularibus senten-*

ſententiis, cenſuris, & pœnis à Jure, vel ab Homine quomodolibet latis, & promulgatis.

Quapropter recedente Subdito à contumacia, & præſtante debitam ſatisfactionem, abſolvi poteſt à ſuo Prælato Regulari facto antea Epiſcopo certiore de obedientia à Subdito præſtita, & ob reverentiam (maxime ſi ille Subditus adhuc perſeveret in ſua Diœceſi) concordata ſimul abſolutione illi impertienda.

Præciſe quoad percuſſionem ſciendum Regulares ob mutuam percuſſionem quantumcumque enormem non eſſe pro excommunicationis abſolutione extra Ordinem mittendos, ſed à ſuis Prælatis poſſe abſolvi ex *c. Monachi de Sentent. Excomunic.* Quid vero ſi Regularis alium Regularem diverſi ordinis percutiat? Deciſio habetur in *c. cum illorum. Eodem.* Nempe per Prælatum proprium, & per Prælatum, percuſſi ſimul eſſe abſolvendum. Quodſi mutuo illi Regulares ſe percuſſerint, poterit unuſquiſque â proprio abſolvi, quia compenſata eſt injuria. Quid tandem ſi Regularis percutiat Clericum Epiſcopo ſubjectum? *Ex c. Religioſo de Sentent. Excommun. in 6.* Abſolvendus eſt vel à Pontifice, vel ab Epiſcopo tantum, vel demum à Prælato Regulari cum delegatione Epiſcopi.

Prælati

Prælati possunt irritare vota Subditorum, jam professorum, non autem Novitiorum, quia adhuc Religioni penitus non sunt ligati, & nec idcirco penitus subjecti. Item dispensare possunt cum illis in præceptis Ecclesiæ, sicut potest Episcopus, si est Provincialis, vel sicut Parochus, si est Gvardianus: similiter ne recitent horas canonicas, seu ne jejunent tempore infirmitatis, etiamsi in dubio versentur, num sufficiens causa sit excusans.

DE POTESTATE CONFESSARII EXTRA ORDINEM.

CAPUT IV.

§. I.

Capuccinorum integra potestas Confessiones Sæcularium excipiendi.

DUbitatum est, an Capuccinorum Ordinis Fratres possent Sæcularium Confessiones excipere tùm quia nostræ Constitutiones hoc vetant, deinde ob arctiorem adhuc prohibitionem Gregorii XIV. in Constitutione

ne 6. *Decet Seraphieam.* Sed huic dubio facile occurritur.

Nam primo ex Jure communi, ideſt ex *Clem: Dudum. De Sepulturis.* certum eſt Capuccinis, quatenus Regularibus exemptis, contingere ſicut omnibus aliis facultatem illam ampliſſimam ubique locorum, & quorumcumque hominum Confeſſiones excipiendi obtenta prius ab Epiſcopis diœceſanis approbatione. Deinde huic facultati neutiquam Conſtitutiones Ordinis renuntiaſſe eſt tenendum, cum ipſæ ſolum exercitium, non autem facultatem, ſeu privilegia excipiendi Confeſſiones hujuſmodi vetuerint: unde & revera caſus aliquos concedunt, in quibus etiam haberi poſſit exercitium. Tandem illa Bulla Gtegorii XIV. tantum abeſt ut obſit, quantum longe eſt favorem obeſſe petenti: conſtat enim illam Bullam datam eſſe ad inſtantiam, & favorem Capuccinorum, ut ſe ab inſtantiis Sæcularium defenderent. Accedit quod hæc Bulla modificata eſt per aliam Clementis VIII. 82. *Alias felicis.* quæ concedit ut Miniſter Generalis ejuſdem Ordinis ſimul cum Definitoribus in Capitulo Generali poſſit facultatem impertiri uſque ad futurum proximum Capitulum quibuslibet Religioſis approbatis audiendi

diendi Confessiones Sæcularium utriusque sexûs.

Igitur constat, integerrimam Capuccinis remanere potestatem munus Confessarii extra Ordinem exercendi; & omnibus privilegiis omnino gaudere, quibus cæteri Regulares gaudere dicuntur, quidquid male supponens contradixerit Diana: nisi quod exercitium hujus muneris sub Prælatorum judicium est reservatum, ut ubi, quando, & quibus opus esse sibi visum fuerit, discretè dispensent.

Imò per Rescriptum, deinde per Breve Clemenris XII. incip. *Dudum emanarunt* 14. Maii 1735. concessio illa Clement. VIII. amplius est extensa: ut scilicet non solum tempore Capituli Generalis, sed quovis alio tempore possit Definitorium Generale Romæ existens prædictam facultatem Confessiones Sæcularium excipiendi quibuslibet Religiosis, & pro quacumque opportunitate impertiri.

Tandem 23. Maii 1736. exiit Bulla incip. *Ex injuncto.* Clementis XII. quo nostris Religiosis intra Italiam, interdicitur, ne fiant Confessarii ordinarii Monialium. Unde solum extraordinarie eligi poterunt ab Episcopis cum facultate nostrorum Prælatorum.

§. 2.

§. 2.

Privilegia recensentur quoad Absolutionem.

REgularium Privilegia in Confessionibus Sæcularium excipiendis fatendum est ab aliquibus nimis laxe, ab aliis nimis scrupulose recenseri. Nos media via, & quidem tuta procedemus per hæc tria subsequentia asserta

Primo Confessarii Ordinum Mendicantium amplissimam habent facultatem quoscumq; utriusque sexus Sæculares absolvendi ab omnibus peccatis, & excessibus etiam Apostolicæ Sedi reservatis, paucis tamen exceptis. Hoc privilegium maxime constat ex Bulla 7. Pauli III. *Cum inter cunctas* apud Rodriquez ubi hæc satis notanda verba habentur: *Concedimus quorumcumque utriusque sexus Christi Fidelium ad eos accedentium Confessiones audiendi, & Confessionibus diligenter auditis ipsos, & eorum singulos ab omnibus, & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis, quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam Sedi Aprstolicæ reservatis, & à quiquscumque ex ipsis casibus resultantibus sententiis, & censuris, & pœnis ecclesiasticis, (exceptis contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini*

mini solita est legi) absolvendi, ac eis pro commissis pœnitentiam salutarem injungendi, plenam, ac liberam facultatem.

Hoc Privilegium adhuc vigere fuse probant plures Doctores, sed maxime ex eo quod Decretum revocatorium Clementis VIII. jussu editum à S. Congreg. Episc. & Regul. 9. *Januarii* 1601. revocatum, seu moderatum fuit per aliud ejusdem S. Cogregationis Decretum 26. *Novemb.* 1602. ad eosdem omnino terminos, in quibus privilegium illud à nobis traditur, & exponitur. Sic etiam Decretum Urbani VIII. 17. *Novemb.* 1628. quod nobis opponitur, posteriori Decreto Clementis VIII. se conformat, ut præter alios rem exponit Bonagratia *v. Absol. quoad Secul.*

Excipiuntur igitur omnes & singuli Casus in Bulla Cœnæ conteni tam occulti, quam notorii, & contrarium asserere ut invisa, & intolerabilis sententia reprobata est ab Alexandro VII. *prop.* 3. Excipiuntur similiter ex præcitatis Decretis Clementis VIII. & Urbani VIII. sex Casus sequentes nimirum; *Violatio: Immunitatis Eccjesiasticæ: Violatio Clausuræ Monialium ad malum finem: Provocantes, & pugnantes in Duello: Percussio Clerici; Simonia realis & confidentia beneficialis.* Hi, inquam

quam, sex Casus simul cum Casibus Bullæ Cœnæ sunt Papæ reservati, nec possunt à Regulari quantumvis privilegiato absolvi: sed cum hoc discrimine, quod Casus Bullæ Cœnæ ubique Gentium facile sunt reservati, sex autem illi posteriores Casus solum reservantur extra Urbem in Italia; unde Romæ, & in ejus territorio & probabiliter in Insulis Italiæ adjacentibus sicut & ubique ultra Montes possunt à Confessario Regulari absolvi pro foro interno seu Conscientiæ.

In his exceptis adhuc tamen absolutionem impertiri valent non solum Regulares, sed alii quilibet Confessarii 1. Si peccatum sit mere internum. 2. Si sit parvitas materiæ. 3. Si sit peccatum dubium vel in facto, vel in jure; idest tam si dubium fit an peccatum sit cõmissum, quamvis dubium sit an factum contineatur in reservatis: quidquid de reservatis in Bulla Cœnæ contendat Lezana, quando sunt in dubio juris. Videatur Viva *in prop.* 3. *Alex. VII.* 4. Cum ignoratur ignorantia invincibili peccato adnexam esse excommunicationem Papæ reservatam. Nam cum omnes Casus Pontificii sint Papæ reservati, quia habent adnexam excommunicationem, sicuti Ignorantia invincibilis excusat ab excommunicatione incurrenda, sic & exuusat

à reservatione Casus. An autem sic excuset etiam Ignorantia crassa, disputant Doctores, & pars affirmativa non injuria est plausibilior. 5. Si hæresis fuit solum externa, & non interna, idest sine errore in intellectu, & pertinacia in voluntate.

Secundo Confessarii Regulares prædicti possunt eosdem Sæculares absolvere pro solo tamen foro interno ab omni censura ecclesiastica Sanctæ Sedi reservata idest ab Excommunicatione, Suspensione, & Interdicto: accepta tamen ab ipsis prius cautione seu saltem seria promissione de satisfacienda parte. Sic aperte legitur in citato privilegio Pauli III. cui sicut in culpis, ita & in censuris relaxandis certum est eisdem rationibus non fuisse derogatum. Quoad forum vero externum, opportune Clemens X. in sua Bulla 7. *Superna* §. 7. declarat: *Vigore supradictorum, Privilegiorum nequaquam licere Regularibus etiam satisfacta parte absolvere pœnitentes à censuris quoad externum & judiciale forum; & absolutos ab eis in foro pœnitentiali utique, non censeri absolutos in exteriori judicio & contentioso. Quinimo censuris ecclesiasticis irretitos, & denuntiatos ab Episcopis cogi posse gerere se pro talibus, etiamsi à Regularibus fuerint absoluti.* Hæc Pontifex, qui proinde supponit, & ideo consequenter firmat facultatem Regularium pro interno foro. Sunt

Sunt etiam qui Regularibus facultatem, consentiunt absolvendi Sæculares ab Irregularitatibus, sed perperam: nam expresse Clemens VIII. in sua Constitut. 115. *Quæcumque* §. 9. hoc negat, & prohibet tam de Irregularitatibus provenientibus à delicto, quam à defectu.

Tertio possunt consequenter Confessarii Regulares absolvere Sæculares à Casibus S. Officii satisfacta parte nisi contineant hæresim formalem externam; nec contineantur in Bulla Cœnæ, & nisi sint ex illis sex jam enumeratis; ut exemplificat Felix Potestas, *tom. 2. n. 641.* de Muliere solicitata non denunciante, quæpostea facta denuntiatione, absolvi nequit ab excommunicatione, qua ligata fuit, nisi ab habente potestatem in reservatis, ad Pontificem, sicuti nimirum sunt Regulares.

§. 3.

Privilegia quoad Dispensationes.

PRæter facultates in absolvendo, plura alia Privilegia in potestate Clavium quomodocunque usurpanda eisdem Confessariis Regularibus supra Sæculares sunt facta. In primis enim ex jam citata Constitutione Pauli III. valent commutare, & ex aliis Privi-

legiis relatis à noſtro Baſſæo *tom. 1. v. Votum q. 7. n. 10.* valent etiam diſpenſare cum Sæcularibus in omnibus Votis; quæ ſimplicia dicuntur, & in quibus de jure ordinario poſſunt Epiſcopi: exceptis tamen quinque ſoli Papæ reſervatis, ſcilicet Caſtitatis perpetuæ, & integræ, Religionem ingrediendi, & triplicis peregrinationis, nempe Romā, Jeroſolymam & ad S. Jacobū in Compoſtella.

Verum quia Reſervatio eſt rigor ſtricte interpretandus, ideo & in his quinque Votis reſervatis dicendum eſt Confeſſarios Regulares poteſtatem retinere commutandi, & diſpenſandi, ſi illa non ſint omnino libera, perfecta, & certo valida. Propterea non cenſentur illa Vota reſervata, & ideo à Regularibus ſunt diſpenſabilia. 1. Si votum ſit emiſſum ex metu etiam levi, ſed injuſte incuſſo. 2. Si ſit conditionatum, v. g. *Voveo ire Romam, ſi litem Vincam.* Et multo magis conditiones ipſius voti, ſalva tamen ejus ſubſtantia, v. g. *Voveo ingredi Religonem hoc Anno, vel ingredi Chartuſiam, vel pergere Romam pedibus nudis, mendicando &c.* reſervatum enim remanet equidem Votum Religionis, & Peregrinationis, ſed quod hoc anno, vel in tali Ordine, vel tali pacto fiat, ſunt addita diſpenſabilia. 3. Si ſit votum pœnale, v. g.

Voveo

Voveo Religionem, si relabar in tale peccatum. 4. Si sit alternativum, cujus altera pars non sit reservata, v. g. *Voveo ire Romam, vel jejunare.* Secus autem si utraque pars sit reservata, v. g. *Voveo ire Romam vel Jerosolymam.* Plura de hoc P. La Croix *l.* 3. *p.* 1. *à. n.* 544. Qui rectè addit Episcopum, posse dispensare solum cum suis Diœcesanis, Confessarios autem Regulares cum omnibus, quia agunt nomine Papæ.

Facultas tandem hujusmodi in Votis commutandis, vel dispensandis, extenditur etiam ad Juramenta, seu etiam ad Vota jurata, & facta in favorem tertii, ut siquis vovisset, seu jurasset dare eleemosynam Hospitali: dummodo tamen non sit factum juramentum homini, & ab eo acceptatum.

Deinde quoad Impedimenta Matrimonii tollenda varia sunt Regularium Mendicantium Privilegia, relata præsertim â Bonagratia *v. Matrimonium à n.* 288. 1. Dispensare posse dicùntur. cum iis, qui in primo gradu Affinitatis scienter, vel ignoranter Matrimonium contraxerunt. Sed impugnatur à plurimis hoc privilegium. Quare pro praxi Sacramentali notent nostri Confessarii: Vel enim ex circumstantiis cognoscis quod putativus conjux indigens dispensatione sine

incontinentiæ periculo, uſque dum diſpenſatio Româ, aut ab Epiſcopo veniat, vivere poſſit & velit, vel non: ſi vides, quòd ſine dicto periculo vivere, ac intereà ſe continere poſſit, vel velit dic ei, quòd illicò pro ipſo diſpenſationem apud Papam vel Epiſcopum in ſecreto procurare velis, ille verò intereà ſe contineat à petitione & redditione debiti; Sic enim ille omninò contentus, & valor Sacramenti ſecurus erit. Si verò cognoſcis putativum conjugem ob fragilitatem, vel alias circumſtantias in evidenti incontinentiæ periculo verſari, vel adeſſe periculum mortis ex parte unius (& conſequenter injuſtam ſucceſſionem in bonis &c.) donec diſpenſatio Româ, vel ab Epiſcopo veniat, utere prædictô privilegiô, & pro foro conſcientiæ diſpenſa cum illo, ſimulq; doce, qualiter Matrimonium de novo contrahere poſſit, & debeat; quô factô nihilominùs pro majori ſecuritate Romam, vel ad Epiſcopum, ipſo etiam ignorante pœnitente, pro Diſpenſatione ſcribere debebis, (valet enim, Diſpenſatio etiam ignoranti impetrata, ùt cum alijs benedocet Sanch. *lib. 8. Diſp. 26. num. 4. arg.* C. Si motu proprio de Præbend. in 6. & §. Univerſi C. de Precib. Imperat. Offerend.) Obtenta dein

diſpen-

dispensatione voca, vel accede eundem conjugem, illum informa, quare pro majori securitate præter tuam jam factam, etiam Romæ Dispensationem procuraveris, & qualiter ipse ejusdem, majoris securitatis causâ Matrimonium denuò revalidare debeat. Ità docet. R. P. Anacletus Reiffenstuel in Jure Canonico *folio 320.* in Appendice §. XI. De Dispens super Impedimen. *num.* 551.

2dò. Possunt, Regulares Mendicantes cum conjuge ad petendum debitum dispennsare super impedimento proveniente ex voto simplici castitatis perpetuæ antè contractum Matrimonium facto. Ità P. Reiffenstuel citatus §. XII. *num. 568.*

3tiò. Possunt Regulares Mendicantes dispensare ad petendum debitum cum conjuge, qui post contractum Matrimonium cum sui conjugis consanquinea etiam in primo gradu incestum commisit, & consequenter affinitatem, cum proprio conjuge contraxit. Exigunt tamen aliqui Doctores singularem deputationem Prælati Regularis, ut Confessarius his privilegiis utatur, maximè in dispensando ad petendum debitum, cum illo conjuge, qui incestum (ùt suprà dictum est) commisit. De quo videatur P. Reiffenstuel Theolog. Moral. *Tract. 6. Quæst. 4. n. 48.*

48. Qui tamen addit sufficere, si semel ab uno Prælato hæc licentia facta sit.

§. 4.

Additio quoad Missionarios.

MIssionarij nostri interris Hæreticorum & Infidelium possunt dispensare (*imò*. cum ijs; qui cum impedimento criminis, sed sub bona fide contraxerunt. *2dò*. Cum ijs, qui ab hæreticis, schismaticis, vel non à proprio Parocho, ubi Tridentinum viget, Matrimonio juncti sunt: elicito tamen priùs ab altero conjuge aliqua ratione novo consensu. Et ubi Tridentinum apud omnes non penitùs viget, legitimare Matrimonia clandestina, habito tamen priùs dicto consensu, ut proles legitima habeatur. *3tiò*. Cum ijs, qui in quarto, gradu consaguinitatis, vel affinitatis contraxerunt, nec possit fieri Separatio absque gravi incommodo, dummodo eliciatur novus consensus, ut suprà. *4tò*. Cum ijs, qui cognatione spirituali impediti Matrimonio sunt juncti vel etiamsi post Matrimonium initum cognatio spiritualis sit contracta *5tò*. Pro præfatis Missionarijs nostris juvat ulteriùs hic addere, quæ distinctiùs concessit Missionarijs Societatis Jesu, & consequenter, omnibus aliis cum illis communica-

municatibus Paulus III. in Constitut. 48. *Licet debitum* à §. 33.

„ Et ut cum aliquos ex Fratribus seu
„ Sociis Societatis hujusmodi in Saraceno-
„ rum, & Paganorum, aliorumque Infide-
„ lium terras, & Provincias alias remotis-
„ simas, à quibus non potest adiri Sedes
„ Apostolica, Præpositus Generalis miserit;
„ possit eis auctoritate nostra facultatem
„ concedere, ut Christianos ibidem com-
„ morantes, confessione peccatorum suorum
„ audita, & pœnitentia salutari injuncta,
„ eos, & eorum quemlibet ab omnibus, &
„ singulis eorum peccatis, etiam in Bulla Cœ-
„ næ Domini reservatis, & à consequenti-
„ bus censuris, & pœnis absolvere

„ Et cum iis, qui ab infidelitate conver-
„ tentur tantum, & in locis remotissimis,
„ qui prius in gradibus non licitis, tamen
„ lege divina non prohibitis, matrimonia
„ contraxerant, ut in eisdem manere pos-
„ sint, dispensare.

„ Ac in locis prædictis, remotissimis quæ-
„ cumque Ecclesias, Hospitalia, & alia pia
„ loca, prout expediens fuerit, erigere, ac
„ nunc, & pro tempore erecta reformare,
„ sine alicujus præjudicio: & vestes sacer-
„ dotales, pallas, corporalia, calices, altaria,

„ cœmeteria (si Episcopus, qui ea faciat, „ catholicus ibi non adsit) benedicere, ac „ profanatas Ecclesias reconciliare possint. „ & quæcumque statuta, & ordinationes „ desuper necessaria facere, illaque post- „ quam facta fuerint, mutare alterare, ac „ illis addere, & detrahere.

„ Ac Præposito Provinciali in illis lon- „ ginquis partibus residente decedente, in- „ terim dum alius per Generalem Præpo- „ situm mittitur, loco Præpositi sic dece- „ dentis alium eligere libere, & licite va- „ leant.

„ Et quia in numerosis, populis illarum „ regionum tanta est Sacerdotum raritas, ut „ unus plurium, curam populorum susci- „ pere debeat, ut bis eodem die Missam, „ celebrare, diversis in locis valeant.

§. 5.

Restrictio in iis, quæ sunt de Iure Episcoporum.

Licet in iis, quæ ad supremam Apostolicam Sedem pertinent, amplam facultatem, ut explicavimus, Confessarii Regulares obtineant; tamen nullum privilegium, saltem modo validum, nullamque auctoritatem habent, in casibus, & censuris reservatis

vatis

vatis Episcopis pro suis Diœcesibus: ideoque inquibuscunque his casibus, quos sibi Episcopi reservant (etiamsi de illis sint, quos ex privilegiis cæteroquin absolvere valebant) nequeunt Regulares, ullum relevare, aut solvere. Ita ad concordiam inter Episcopos, & Regulares servandam sæpe à Pontificibus decisum est, sed postremo, & omnium clarissime, à Clemente X. in Constit. 7. *Superna* §. 7. Et quoad censuras clarius adhuc Clemens VIII. in Const. 115. *Quæcumque* §. 9.

Duplicis autem generis sunt Casus, qui dicuntur Episcopis reservati; alii, quos ipsi Episcopi sibi reservant; alii vero, qui, jure communi, vel consvetudine Episcopis reservantur, uti est Percussio levis Clerici, Excommunicatio contra procurantes abortum, omnes casus papales occulti, & etiam illi sex casus supra enumerati, & infra explicandi, quando sunt occulti.

Primi adhuc sunt in duplici differentia: nam vel sunt illi, quos in tabella Episcopi promulgant sibi reservatos, & hos à nemine Regularium posse absolvi certissimum est. Vel sunt illi, qui in Synodo diœcesana Episcopo reservantur, & hos aliqui Auctores volunt à Regularibus posse absolvi, sed perperam, quia & hi auctoritate Episcopi

reservan-

reſervantur; nude ſaltem quoaduſque Epiſcopus vivit idem robur reſervationis contra Regularium prætenſiones obtinent.

Secundi vero cum à Sede Apoſtolica per Bullas, ſeu per conſvetudinem ad Epiſcopos devolvantur; & cum Regulares juxta dicta poſſint in Caſibus ſoli Sedi Apoſtolicæ reſervatis abſolvere, multo magis in his poterunt, qui Epiſcopis etiam communicantur. Per hoc tamen non infero poſſe Regulares abſolvere Sæculares à Caſibus Bullæ Cœnæ occultis; quia neque in his poſſe Epiſcopos abſolvere, compertum eſt in prop. 3. Alexandri VII. apud eos omnes ſaltem, qui in ea ludere verbis non delectantur.

DE CASIBUS RESERVATIS.

CAPUT V.

§. I.

Doctrina aliqua prævia.

PLura ſcitu digna de Caſibus reſervatis traduntur à Moralibus? quæ tamen à nobis omîttuntur, ut ſolum pro noſtro inſtituto enumeremus, & aliquo modo expendamus, pro

Coseſſa-

Confessariis intra Ordinem Casus regulares, quos scilicet Prælati regulares sibi reservant; & pro Confessariis extra Ordinem Casus Papales, seu qui Papæ sunt reservati. Nam de Casibus reservatis Episcopis nec est cur enumeremus, cum ab eorum arbitrio dependeant, nec cur explicemus, cum eorumdem Episcoporum menti, & intentioni sit standum.

Quod spectat ad Casus regulares sciendum Clementem VIII. per suum Decretum 26. Maii 1563. statuisse quænam sint illa peccata, quæ Prælati Regulares possunt sibi facere reservata, & præter quæ nullum aliud reservare possint nisi in Capitulo Generali, seu Provinciali post maturum examen. In nostra autem Capuccinorum Religione omnia illa, & sola illa enumerata à dicto Pontifice, & quæ infra à nobis referentur, sunt reservata, ut constat ex Decreto Capituli Generalis anno 1643.

Qua de re licet antiquo jure possent Superiores tam Provinciales, quam locales sibi reservare aliqua peccata, modo tamen hoc jus illis est demptum. Imò neque Superiores posse reservare aliquod peccatum præter enumeranda sub pœna excommunicationis sibi reservatæ, liquet xe eadem vi illius citati Decreti; quia reservare per excommuni-

municationem est simpliciter reservare, id eoque modo Superioribus interdictum. Posse autem alicui peccato pœnam excommunicationis sibi non reservatæ addere, liquet itidem, Superioribus adhuc esse integrum, quia tunc peccata proprie reservata non dicuntur.

Illud equidem semper præ oculis habendum in omnibus sequentibus enumerandis Casibus nullum peccatum posse esse reservatum, nisi sit peccatum externum, perfectum, certum, & mortale: unde mere interna, seu etiam externe non penitus consummata, dubia, & venialia nunquam intelliguntur reservata.

§. 2.

Casus Reservati pro Regularibus.

I. *VEneficia, Incantationes, & Sortilegia.* Sub his tribus includuntur omnes aliæ species Maleficiorum, & Superstitionum ob identitatem, vel majoritatem rationis. De quibus optime noster Gesvaldus *p.* 1. *trac.* 27. *c.* 1.

II. *Apostasia à Religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eo pervenerit, ut extra septa Monasterii, seu Conventus fiat egressio.*

Intelligitur hic non quæcumque egressio, sed

ſed egreſſio ſimul cum animo apoſtatandi, ideſt deſerendi Religionem: ſive poſtea egreſſio fiat die, ſive noctu. Extra ſepta vero Conventûs, ille perveniſſe dicitur, qui limen portæ, ſeu Clauſuræ, Domûs ſtillicidia, vel tandem Sacrarii terminum, qui ſolet eſſe Crux, exceſſerit.

III. *Nocturna, & furtiva è Monaſterio, ſeu Conventu egreſſio, etiam animo non apoſtatandi facta.*

Patet ex verbis, quod ſi egreſſio ſit diurna ſine animo apoſtadandi, vel ſi nocturna, facta tamen coram aliis, vel cum notitia aliorum Fratrum, non autem delicto conſentientium, non eſt Caſus reſervatus.

Si quis furtive egrederetur in crepuſculis diei, vel noctis, cum ſcilicet adhuc eſt lux dubia, vel poſt Solis occaſum, vel ante Solis ortum, cum iſtæ partes non computentur rigoroſe in nocte, non incurreret in hunc caſum. In dubio autem an præciſe fuerit tempore crepuſculi, vel inceptæ noctis favendum eſt pœnitenti. Ita etiam citatus Geſvaldus. Tandem parvitas materiæ, v. g. egreſſio per unum quadrans an excuſet, eſt omnino ineptum dicere, vel quærere. Primo quia hujus Caſûs ſubjectum, in quod cadit reſervatio, eſt Egreſſio, & Egreſſio eſt veluti qualitas, quæ ex ſe præciſe non

non habet majoritatem, vel minoritatem, quantitatis; unde potius majoritas, vel minoritas ipsius egressionis esset inquirenda, ideſt an fuerit perfecta, vel imperfecta, egreſſio, ut poſſet dici peccatum mortale, vel veniale. Secundo quia finis legis hujus eſt maxime ad evitanda facinora, quæ tamen etiam unico quadrante, vel minori, quoque tempore poſſunt compleri; unde tam parvitas, quam magnitudo materiæ ab hac lege intelligitur æqualiter interdicta.

IV. *Proprietas contra Votum Paupertatis, quæ ſit peccatum mortale.*

Proprietarius eſt qui retinet dat, donat, recipit, mutuat contra Superioris mentem, ſeu abſque ejus licentia vel expreſsa, vel ſaltem præſumpta. Item juxta Gloſſam *in c. Cum ad Monaſterium de ſtatu Monachorum*, Quidquid cælatur Abbati, ſeu Prælato ſuo, vel contra voluntatem ejus tenetur, eſt proprietas.

Notanda eſt deciſio noſtri Capituli Generalis 1643. *Religioſus recipiens aliquid ſine licentia Superioris, quod ſit materia peccati mortalis, & poſtmodum auctoritate propria illud reſtituens ei, qui dederit, duplex peccatum committit reſervatum, ſi hujuſmodi res eſt, cujus Religio ſit capax.* Ratio eſt quia accipere, & dare præ-

ter

ter Superioris voluntatem est duplex proprietatis actus. Ulterius quia quidquid acquirit Monachus, acquirit Monasterio; unde si ex proprio arbitrio rem semel acquisitam disponit, tanquam rem Monasterii aufert, dum alteri illam dat, seu reddit.

Quantitas autem pertingens peccatum mortale explicabitur in Casu VIII.

V. *Juramentum falsum in Judicio regulari, seu legitimo.*

Scilicet Juramentum factum coram Judice competente, sive postea sit Superior ipse, sive Delegatus, sive Inquisitor, sive Nuncius &c. Et quidem, tam Juramentum factum à teste, si testetur, falsa, vel si non dicat omnem veritatem cum juraverit se dicturum, quam à Reo ipso, cum jurat falsum expresse, vel cum restrictione pure mentali, de qua satis disputant Morales.

VI. *Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non secuto.*

Fætus masculi post 40. dies, fætus vero fœminæ, post 80 dies communi calculo dicitur animatus. Quia vero cum adhuc in ventre fœtus est, sciri nequit an sit masculinus, vel fæmininus, ideo procuratio abortûs post 40. dies semper erit reservata:

nam præsumptio stat pro lege reservante, usquedum probare possis quod fætus sit fæmineus, & ideo post, 40. dies non animatus. Si autem fætus decidat, tunc ex eo erit judicandum.

Procuratio intelligitur vel potus, vel medicina &c. ad hunc finem data, & revera à Muliere prægnante sumpta. Auxilium est omne opus ad eundem finem præstitum, & ipsa traditio, seu deportatio potûs, vel medicinæ. Consilium omnis persvasio, vel instructio ad efficiendum abortum.

Excommunicatio lata olim à Sixto V. per suam Bullam 87. *Effrænatam.* contra procurantes abortum animatum, potest absolvi à quolibet Confessario deputato per Bullam 8. Gregorii XIV. *Sedes Apostolica.* Quoad fætum autem inanimatum sublata est omnino excommunicatio.

VII. *Falsificatio manûs, aut Sigilli Officialium Monasterii, aut Conventûs.*

Manus hic intelligitur pro Scriptura, Sigillum pro signo illo, quod imprimitur in literis, sive schedulis. Pro Officialibus intelligitur primo Superior, deinde omnes Ministri, qui in officiis suis sunt destinati ad bonum commune sive spirituale, sive temporale Religiosorum, vel Monasterii.

Falsi-

Falsificatio fit vel si mendacium effingatur, vel si veritas alteretur, seu mutetur per additionem, vel detractionem: sive postea tota epistola v. g. effingatur, sive vera epistola tantum in aliquibus verbis mutetur.

Requiritur ulterius ut falsificatio fiat cum dolo, & in præjudicium Monasterii, atque etiam ut in usum deportetur. Unde in casum reservatum non incideret, qui manum falsificaret joci gratiâ, vel alia causa, quæ non spectat ad bonum, regiminis, vel administrationis rerum Monasterii: qui Sigillo Officialium litteras suas firmaret, ut securius, seu citius deferrentur: & tandem qui facta falsificatione manûs, sive Sigilli, pœnitens facti eâ non uteretur.

VIII. *Furtum de rebus Monasterii, seu Conventus in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.*

Incidit in hunc casum qui furatur tam de bonis communibus Monasterii, quam de bonis concessis, usui particulari Fratrum; omnia enim sunt bona Monasterii vel communi, vel particulari usui applicata; unde & sic ulterius declarasse ipsum Clementem VIII. refert Gesvaldus citatus.

Similiter incidunt in hunc casum non solum Subditi, sed etiam ipsi Superiores, si bona, quæ pro Communitate Fratrum dispen-

ſanda ſunt, ſibi particulariter approprient, aut extra Monaſterium diſtrahant. Non enim ex quo ſunt Superiores, fiunt Domini illorum bonorum, ſed ſolum Diſpenſatores ſupremi illorum juxta indigentiam cõmunem.

Pro quantitate vero ſufficienti primo notanda eſt deciſio noſtri Capituli Generalis 1633. *furantes comeſtibilia inſcio Superiore, & Majori Conventûs, ſi id faciunt in magna quantitate, & ut dent extra Conventum, videntur incidere in caſum reſervatum. Si vero id faciant tempore recreationis ad comedendum, ſtandum erit judicio prudentis.*

Deinde refert Bonagratia *v. Caſus reſerv.* Inſtructiones judiciales noſtri Ordinis reviſas, ac denuo approbatas in Cap. Gen. 1662. ſtatuere trium argenteorum, vel juliorum valorem eſſe quantitatem furti, & proprietatis ſatis notabilem, ſeu gravem.

Tandem illud præ omnibus eſt conſiderandum, quantitatem notabilem furti maxime perpendendam eſſe ex facilitate, vel difficultate, ex copia, vel inopia illius rei, quæ ſurripitur: item ex voluntate magis vel minus invita Superioris, nam ut dicunt Morales de furtis domeſticorm (prout nimirum ſunt illa Religioſorum) ſæpe Superior eſt invitus magis ex modo accipiendi quam ex qualitate, ſeu quantitate rei acceptæ.

IX *Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.*

Dicitur primo *Lapsus Carnis*, per quæ verba intelliguntur omnes species peccatorum carnalium cum seminis effusione. Similiter tam lapsus active procuratus à se ipso, quam voluntarie passus per actionem alterius. Procuratus autem tantum in alterius corpore, etsi habeat eandem malitiam, tamen non subjicitur reservationi, ut declaratum est in Capitulo Generali 1697. quia talis procurans vere ipse non labitur, sed tantum est occasio, ut alius labatur.

Tactus, amplexus, & oscula impudica simpliciter, etsi gravia sint peccata, non tamen sunt reservata, si fiant absq; seminis effusione: quamvis & accidat aliqua humectatio seu distillatio, quia hæc nō est vera seminis effusio.

Dicitur secundo *Voluntarius*, & quidem cum plena libertate commissus. Unde siquis in somno, vel semidormiens patiatur pollutionem, non incidit in casum, quia ad illam non se habet voluntarie, saltem perfecte. Item siquis invitus pollueretur ab alio coacte, non incidit, imò nec peccat, si vere sit invitus, & coactus violenter. Aliqui extendunt ad casum, quo quis sollicitaretur ad turpia minis, vel verberibus; nam licet iste consentiendo peccaret mortaliter,

quatenus potius mortem, quam peccatum, debet eligere; tamen non incideret in reservationem, quia non fuit in eo lapsus perfecte voluntarius. Sed hæc est nimia, laxitas. Ille autem vere excusaretur, qui antequam reipsa laberetur, sui facti pœniteret, & voluntatem pravam vere retractaret, quamvis postea procurata, seu incepta pollutio revera sequeretur, ut respondit etiam Cap. Gen. 1633.

Dicitur tertio *Opere consummatus*, quia ad incurrendam reservationem non sufficit quod effusio seminis sit attentata, seu inchoata, sed requiritur ut revera fuerit perfecta: & quidem mediante opere aliquo, idest vel manu, vel instrumento, vel voluntariis motibus corporis. Qua de re lapsus carnis si eveniat ex sola occasione accepta etiamsi voluntarie v. g. ex nimio cibo, vel potu, ex colloquio, vel osculis vel aspectu etiam turpissimo (dummodo non accedat procuratio cum opere, seu motu voluntario) non intelligitur reservatus. Ita etiam respondit citatum Capit. Gener. 1633.

X. *Occisio, aut vulneratio, sive gravis percussio cujuscumque personæ.*

Extenditur hic casus non solum ad committentes, sed etiam ad mandantes, consulentes

sulentes &c. sicuti in similibus casibus disponit jus commune. Videatur Gesvaldus jam citatus.

Occisio facta cum moderamine inculpatæ tutelæ, quando aliter invasor non potest evitari, non solùm non est casus reservatus, sed nec ullum peccatum, neque inducens irregularitatem. Secus si aliquis Religiosus invasum succurrendo injustum invasorem occideret etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ; nam iste non peccaret equidem, neque reservationem consequenter incurreret, sed Irregularitatem contraheret, ut notat Glossa *in Clement. Unic. de homicid.* Quam tamen relaxari posse à Prælato regulari existimo, non obstantibus iis, quæ diximus *cap.* 3. §. 2. quia sumus in odiosis.

Vulneratio intelligitur quælibet violenta percussio cum ferro, aut alio instrumento, ex qua veniat vel mutilatio alicujus membri, aut aperitio, seu divisio carnis à carne. Non tamen intelligitur de vulnusculis v.g. unguibus, dentibus &c. factis.

Gravis percussio est, quæ distingvitur à levi. Utraque autem sic explicatur à Constitutione 2. Joannis XXII. relata à Felice Poteſtate *tom.* 1. *num.* 3572. videlicet le-

vem, seu modicam esse illam impulsionem pugni, palmæ, manûs, pedis, digiti, aut baculi, vel lapidis, quæ ad livorem, mutilationem membri, fractionem dentis, depilationem capillorum non modicam, vel effusionem sanguinis non excedit. Unde consequenter gravis percussio est illa, quæ ad hæc excedit.

Gravitas insuper, & levitas percussionis ducenda est ex qualitate loci, ut siquis coram Principe, seu in platea coram populo pugnum alteri impingeret, certe percussio gravis esset. Item ex qualitate personæ: nam quæ homini plebeo est injuria levis, facta homini illustri fit gravis.

Cuicumque autem homini hæc fiant à Religioso, sive alteri Confratri, sive Clerico sæculari, sive Laico, sive Ecclesiastico, sive Christiano, sive Infideli, & Excommunicato, semper in hunc casum reservatum incurritur. Cum hac tamen distinctione, quod si occidatur, vulneretur, aut graviter percutiatur Laicus, incurritur tantum in casum reservatum: si autem percutiatur Religiosus, vel Clericus, incurritur ulterius in excommunicationem ex *c. Siquis suadente Diabolo. 17. qu. 4.* De absolutione, ab hujusmodi percussione satis locuti sumus *c. 3. §. 2.* in fine.

XI. *Mali-*

XI. *Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio litterarum à Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores.*

Hæc omnia malitiose oportet, ut sint facta, ut in hunc casum incurratur. Ille impedit, qui facit ne litteræ deferantur ad tabellarium &c. Ille retardat, qui acceptas non reddit statim, vel congruo tempore cui reddendæ sunt, &c. Ille apperit, qui solvit sigillum, & legit. Quamobrem in hunc casum non incurrit legens epistolam, postquam est soluta; similiter qui solvit, sed postea pœnitentia ductus non legit: & tandem qui ex industria legit epistolam, sed eam non solvit, licet ex curiositate peccet.

Superiores, qui hic recensetur, sunt Generalis, Provincialis, Commissarius, Gvardiani, multo magis Pontifex, Sacra Pœnitentiaria, & etiam Cardinalis Protector Ordinis. Alii autem Cardinales, Episcopi, Principes, Reges hic non comprehenduntur.

Siquis deferat litteras Superioris ad inferiorem, vel inferioris ad superiorem, in quibus sciat certo, vel saltem ex certa conjectura calumniam, vel damnum sibi injuste parari, si eas legit, aperit, & comburit, est excusandus. Sed si habeat solam suspicionem, certe peccat, & in hunc casum incidit.

dit. Quare cautiſſime in hoc eſt procedendum.

§. 3.

Sex Caſus reſervati pro Sæcularibus.

I. **V**Iolatio Immunitatis Eccleſiaſticæ circa confugientes ad Eccleſias in terminis Conſtitut. Gregorii XIV. Cum alias nonnulli.*

Hac de re frequens eſt apud Morales tractatus, unde illi ſunt conſulendi, ut caſus perfecte dignoſcatur. Illud ſolum animadvertant Regulares quoque juxta communem, & plauſibiliorem ſententiam in ſuis Eccleſiis, non autem in Reliquo Monaſterio, gaudere tali immunitate etiamſi delicta in illo Monaſterio patraverint. Unde Superiores, & alii extrahentes cenſuram incurrunt, ſi reum Regularem extrahant ad ſubijciendum foro judiciali: ſecus autem ſi ad ſolam religioſam correctionem faciendam. Ita poſt Bordonum, Donatum, & alios rem breviter demonſtrat, & enucleat Felix Poteſtas *tom. 1. à num. 681.*

II. *Violatio Clauſuræ Monialium ad malum finem.*

De hac materia varia fuit Eccleſiæ diſpoſitio, & ſententia. Primo enim Tridentinum *ſeſſ.* 25. *c.* 5. excommunicationem impoſuit

posuit tam viris, quam fœminis ingredientibus monasteria Monialium etiam non ad malum finem. Sed hæc excommunicatio nulli est reservata, & potest à quocumque Confessario absolvi.

Secundo supra dispositionem Tridentini S. Pius V. in sua Constitut. 20. *Regularium Personarum*, & Gregorius XIII. in sua Constitut. 28. *Ubi gratiæ* excommunicatioñe Sedi Apostolicæ reservatam imposuerunt vel Fœminis ingredientibus in Monasteria Virorũ, vel tam Fœminis, quam Viris ingredientibus Monasteria Monialium, & hoc tam ex parte ingredientium, quam ex parte admittentiũ, sed sub hac præcisa conditione, nempe si ingrediantur sub prætextu licentiarũ, quas præsumant habere, & non habent. Quam quidem conditionem ad excommunicatioñe reservatam incurrendam iterum exposcunt Paulus V. in sua Constitutione 52. *Facultatem* & 74. *Monialium statui.* & Urbanus VIII. per suam Constitut. 30. *Sacrosanctum.* confirmantes Bullam supra dictam Gregorii XIII. maxime Contra Mulieres ingredientes in Monasteria Monialium licentiarum prætextu. Unde tam Fœminæ, quam Viri si ingrediantur Monasteria Monialium sine tali prætextu licentiarum, & sine malo fine, non incurrunt nisi excomunicationem

latam

latam à Tridentino. Verum non idem est sermo de Mulieribus ingredientibus Monasteria Virorum, nam istæ etiamsi ingrediantur sine malo fine, & sine illo prætextu licentiarum semper incurrunt excommunicationem reservatam, & Religiosi admittentes pœnam privationis officiorum, & suspensionis à divinis, ut declaravit ipse S. Pius V. per sequentem Bullam *Decet Romanum*.

Tandem ex Decreto relato Clementis VIII. in quo enumerantur hi sex Casus, excommunicatio imponitur ingredientibus Monasteria Monialium ad malum finem.

Igitur non solum excommunicatio Tridentini, sed illa etiam S. Pii V. & Gregorii XIII. supra explicata, potest absolvi à Regularibus per sua privilegia. Illa autem Clementis VIII. quæ est casus præsens, nequit à Regularibus relaxari. in Italia extrà Urbem seu Romam uti dictum est suprà in *Capite* IV. §. 2.

III. *Injectio manûs violentæ in Clericum juxta Canonem Siquis svadente Diabolo.*

Ubi Consulendi sunt Morales, qui fuse explicant hujusmodi violentiam in Clericum. In dubio an percussio Clerici fuerit gravis, vel levis, semper est peccatum reservatum, quia pro Clerico, cui lex favet, stat præsum-

ptio. Posse autem Confessarium Regularem absolvere Sæcularem ob percussionem levem Clerici, sicut, & potest Episcopus, mihi est ratum secundum dicta *c.* .4 §. 5. *in fine.*

IV. *Provocatio, & pugna in duello juxta decretum Concilii Tridentini, & Bullam* 82. *Gregorii XIII. ad Tollendam detestabilem.*

Ubi peccatum, & excommunicatio extenditur ad omnes consulentes, mandantes, spectantes non quoslibet, sed ex composito, & socios.

V. *Simonia realis scienter contracta.*

Unde sola mentalis non reservatur. Plura Morales.

VI. *Confidentia beneficialis.*

Hæc species est Simoniæ, quæ committitur, cum quis propria auctoritate dat, cedit aut procurat alteri beneficium Ecclesiasticũ cum confidentia, seu intentione, & pacto eum obligandi, ut post aliquod tempus illud resignet sibi, vel alteri, vel cum onere ut pensionem aliquam, seu omnes fructus, vel partem fructuum solvat ipsi danti, cedenti, procuranti, aut alteri ad ejus libitum.

§. 4.

Casus Bullæ Cœnæ.

I. HÆretici cvjuscumque Sectæ, eorumq; recepta-

receptatores, fautores, defensores. Eorumdem libros hæresim continentes, vel etiam solum de Religione tractantes scienter legentes, retinentes, imprimentes, defendentes. Item Schismatici omnes.

II. Appellantes ab ordinationibus, seu mandatis Romani Pontificis ad futurum Concilium, eorumque fautores.

III. Piratæ, Cursarii, ac latrunculi maritimi discurrentes mare Romani Pontificis, præcipue à Monte Argentario usque ad Terracinam, ac eorum fautores, receptatores, & defensores.

Unde furantes in fluminibus, vel in alio mari, item aliquando furantes, sed non ex professo mare pontificium excurrentes, non incidunt in hunc casum.

IV. Surripientes bona quæcumq; naufragantium Christianorũ etiam in littoribus inventa.

Si aliter illa bona essent peritura, vel si non sunt bona Christianorum, surripiens non incidit in casum.

V. Imponentes nova pedagia, & gabellas, vel eas augentes.

Solus Papa, Imperator, Rex, & Princeps supremus habent hanc potestatem, non autem Civitas, Magistratus, seu Princeps feudatarius, nisi & his absolutum, vel mixtum imperium contingat.

VI.

VI. Falsificantes litteras Apostolicas, aut falso fabricantes.

Intellige si aliquod etiam minimum addatur, quod mutet sensum.

VII. Deferentes arma, & alia usui bellico idonea ad Turcas, & alios Christiani nominis inimicos, vel Hæreticos declaratos. Item illis denuntiantes, quæ ad Christianæ Reipublicæ, vel Catholicæ Religionis statum pertinent in istius damnum.

Christiani existentes in regionibus illorum Infidelium licite illis arma vendunt, sicuti si Infideles venerint ad emendum ab eis, v.g. si veniant Venetias, Liburnum &c.

VIII. Impedientes eos, qui victualia, & alia necessaria Romam convehunt.

IX. Vexantes in Curia Romana commorantes, aut lædentes, ad eam venientes, vel ab ea recedentes.

X. Vexantes Romipetas, & Peregrinos in Urbe commorantes, vel recedentes, & in his dantes auxilium, consilium, vel favorem.

Non comprehenduntur qui Romam petunt negotiorum causâ, sed qui solius devotionis.

XI. Lædentes quomodocumque, & auxilium præstantes ad lædendum S. Ecclesiæ Cardinales, Episcopos, & alios Prælatos.

XII. Ad Curiam Romanam pro suis negotiis

gotiis recurrentes, & eorum Advocatos lædentes, seu lædere mandantes.

XIII. Appellantes â gravamine, vel à futura executione litterarum Apostolicarum ad Laicam potestatem.

XIV. Impedientes executionem litterarum Apostolicarum, aut aliarum expeditionum, & vetantes illos, qui ad S. Sedem pro gratiis impetrandis recurrunt.

XV. Judices sæculares, qui personas Ecclesiasticas ad sua tribunalia trahunt, quique Ecclesiasticam libertatē tollunt, vel minuunt.

XVI. Impedientes Prælatos ne sua jurisdictione utantur.

XVII. Usurpantes jurisdictiones fructus, redditus, & decimas ad Ecclesiam quomodolibet spectantes, vel ea omnia sequestrantes.

XVIII. Imponentes decimas, & alia onera personis ecclesiasticis, Ecclesiis Monasteriis, aut eorum fructibus

XIX. Judices, & quilibet Ministri se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas ecclesiasticas.

XX. Occupantes, aut detinentes bona, aut terras Ecclesiæ Romanæ immediate, vel mediate subiecta. Et tandem omnis, qui ab his casibus præsumpserit absolvere.

DE

DE PRÆSENTATIONE PRO RESERVATIS.

CAPUT VI.

§. I.

Dispositio Præsentationis pro Ordine.

ONus Peccatorum reservatorum est, ut Pœnitens Prælato se præsentet ad absolutionem ab eo petendam, quoniam aliis Confessariis pro illis facultas absolvendi est dempta; unde per hoc Peccata reservata appellantur. Juxta igitur jam datam divisionem quod allii sint Casus reservati regulares alii papales, & alii episcopales, qualis sit circa hos singulos juris dispositio nunc tandem est videndum. Quod ad primos attinet:

Sciendum pro Ordine nostro (ut referunt omnes nostri Scriptores) quod cum à Congregatione S. Officii fuisset impositum nostro Capitulo Generali 1613. ut modum decerneret in Religione servandum pro absolutione Casuum reservatorum, ita ab eo statutum fuit ut scilicet: *Confessarii à Superioribus deputati ad audiendas, Fratrum Cofessiones, eos*

etiam à Casibus reservatis absolvere valeant: ea tamen lege ut si Confessor judicaverit Pœnitentem se debere Superiori præsentare, teneatur Pœnitens habita opportunitate ad talem Superiorem recurrere, vel ut iterum sacramentaliter absolvatur, vel ut remedium salutare recipiat. Si vero id non expedire Confessario visum fuerit, liber omnino à tali obligatione Pœnitens remaneat: ita tamen ut Confessor ipse tempore congruo ad Superiorem recurrat, & salvo Confessionis sigillo, ac sine Pœnitentis nota, se à Reservatis illum absolvisse manifestet: tum ut hinc Prælatus in communi statum Religionis agnoscat, tum ut de salutaribus remediis, si opus fuerit, Confessarium instruat. Quod Decretum ab eadem S. Officii Congregatione visum, & approbatum est.

§. 2.

Cautela Confessarii, & Pœnitentis pro Præsentatione.

Ex his deducitur primo prudentia, & discretione Confessario opus esse in remittendo præsentationem Pœnitenti, vel sibi in assumendo. Non enim in ejus libertate, & veluti dominio est absolute utrumque posse, & velle facere. Quare si Pœnitentem facile dispositum, & vere pœnitentem inveniat, potest Confessarius etiam soli ejus pudori ex charitate consulere, & in se præsentationem

nem aſſumere. Similiter ſi prævidet, illum nimio timore non ſe præſentaturum eſſe, & multo magis ſi periculum famæ, vel alterius mali illi imminere prævideat. Sin verò vel frequentes in eo lapſus advertat, vel occaſionibus adhærentem, vel correctioni non adeo diſpoſitum conſideret, multo magis ſi ex ejus vitio ſcandalum in alios eſſe, vel fore deprehendat, ipſi Pænitenti omnino onus præſentationis debet relinquere, excepto tamen ſemper periculo pejoris damni, ut eſſet, infamia &c. Hoc idem cautum eſt à noſtro Capit. Gener. 1633. Quod ſi Pœnitens ſic à Confeſſario obligatus ſe præſentare renuat, abſolutione eſt indignus, quia non eſt rite diſpoſitus.

Pœnitens relictus cum onere ſe præſentandi debet cum opportunitate, id eſt ſtatim ac poterit ſine ſui nota, Superiori ſe præſentare. Quod ſi data opportunitate de die in diem differat, & multo magis ſi pluries opportunitatem ſe præſentandi vitaverit, graviter peccat, & in peccato remanet uſque dum onus illud deponat.

Si Pœnitens ab uno ad alterum Confeſſarium declinet, ut ab eo eximatur ab onere ſe præſentandi, dummodo exponat difficultates, ob quas primus Confeſſarius noluit,

& sui peccati statum habitum, durationem &c. poterit ab isto altero Confessario eximi, si nimirum iste secundus videat primum fuisse irrationabilem. Ita & decisum est à Capit. Gener. 1637. Verum non tam celer sit hujusmodi alter Confessarius in damnando judicium primi, maxime si iste primus sit ordinarius, & proprius Pœnitentis Confessarius.

§. 3.

Modus Præsentationis à Confessario facienda.

CONfessarius si juxta dicta onus in se suscepit præsentationis faciendæ pro Pœnitente, tempore congruo, idest vel Visitationis tempore, vel statim ac Provincialem videt, debet ei se præsentare. Quod si videat, nunc se præsentando facile Pœnitentem cognitum fore Prælato. v. g. quia habet unum solum Pœnitentem vel quia est Confessarius non deputatus, in quo casu nonnisi Gvardiani licentia potuit Confessionem excipere &c. debet potius præsentationem ad aliud tempus opportunius remittere.

Sive præsens fuerit Prælatus, sive absens, potest semper Confessarius juxta dictam pru-

dentiam

dentiam in se sumere onus præsentationis: quia dalegatio illa semel facta à Capitulo Generali omnibus Confessariis fuit sine ulla restrictione temporis, vel loci.

Regulariter loquendo Præsentatio illi Prælato facienda est in cujus Provincia Pœnitens est absolutus; alioquin esset notam injustam inurere uni Provinciæ, si ibi denunciaretur peccatum, quod in alia est patratum. Cæterum si id commode fieri nequeat, & si alia inconvenientia obstent, cuilibet Provinciali poterit prsentatio fieri, ut similiter declaravit Capit. Gen. 1691.

Præsentatio ista fit coram Provinciali genuflectendo, & dicendo se absolvisse unum vel plures, semel vel pluries (& exprimatur quoties) ab uno, vel â pluribus casibus reservatis, & hi casus aperiendi sunt in eorum tantum specie, v.g. quod fuerit lapsus carnis in prima, vel secunda persona, vel Furtum, vel Veneficia &c. Ita hæc specificatio imponitur, à Cap. Gen. 1663. à quo Decretum delegationis jam prædictæ in Reservata fuit confirmatum, & explicatum. Et postea ratio ipsa svadet. Nam ad quid Præsentatio illa in genere, v.g. *Absolvi à reservatis.* Nullo modo finis præsentationis hujus impositæ habetur, nam neque proinde

ſtatus Provinciæ Prælato innoteſcit, neque Prælatus Confeſſario conſilium dare poteſt. Ulterius Confeſſarius ſuſcipiendo in ſe onus præſentationis, onus ſibi nimirum imponit faciendi illud, quod à Pœnitente faciendum erat. Atqui Pænitenti etiam extra Confeſſionem ſe præſentanti quis aſſereret ſufficere ſi diceret: *Commiſi reſervata?* Igitur & Confeſſarius, ut faciat illud minus, quod Pænitenti permitteretur, nempe ut reſervata aperiret tantum in ſpecie abſoluta, debet & ipſe præſentationem ſic facere, ſeu ita ſpecifice præſentare Peccata Pænitentis.

Verum eſt autem quod ſi periculum immineat notæ, vel infamiæ Pœnitentis, poteſt, imo debet Confeſſarius abſtinere à tali ſpecificatione, & ſufficit illa præſentatio generica. Quod ſi Prælatus inſtet, ut aperiatur & ſpecies, cum humilitate reſpondendum eſt non poſſe licite hoc explicari.

Præſentatio facienda eſt oretenus, nunquam per litteras. Multo minus expetendæ ſunt litteræ obedientiales, ut Confeſſarius ad ſe præſentandum vadat; ſed ut diximus, expectanda eſt opportunitas.

§. 4.

§. 4.

Quando tollatur onus præsentationis.

CEssat onus Præsentationis faciendæ Prælato, si Pænitens se præsentet alicui Confessario habenti potestatem absolutam super reservata. Item si hujusmodi Confessario privilegiato se præsentet Confessarius, qui in se præsentationis onus suscepit. An autem tam Pænitens, quam Confessarius in tali casu debeat exprimere specifice reservata, an verò sufficiat vel materialis illa præsentatio absque ulla expressione reservatorum &c. quidquid alii habenas laxent, dicendum est: præsentationē, quæ exigitur, & imponitur pro reservatis, certe non esse materialem personæ præsentiam, sed expressionem reservatorū factam coram Superiore, vel alio potestatem habente. Nec sufficit quod talis in absolvendo dicat se absolvere quantum ille potest, & Pœnitens indiget: nam hoc dicit supposito quod Pænitens debitum suum expleverit: & valet in casu quo inculpabiliter Pænitens obliviscatur vel omnia, vel aliqua reservata recitare: nam tunc non præsupposita culpa præsumitur Confessarius velle tollere omnem reservationem.

Cessat præterea onus præsentationis tempore Jubilæi, sed est necessarium ut eo tem-

pore Pænitens confiteatur illa reservata, quæ habet, vel Confessarius habens onus se revera præsentet Confessario legitimo. Et contraria sententia Caroli à Cremona reprobatur à decisione Cap: Gen. 1650.

Similiter contra eundem Auctorem militat Declaratio ejusdem Capituli Generalis, nimirum: *Confessarius non dispensatur ab onere se præsentandi pro suo Pœnitente, si post superveniente solemnitate Superior dederit suam facultatem absolvendi à reservatis: nisi ei certo constet de voluntate Superioris, vel Pænitens denuo peccata reservata confiteatur.*

Tempore Jubilæi plures possunt effingi casus, in quibus sit dubia cessatio oneris præsentationis; sed quia fere semper utraq; probabilis est opinio, ideo consulendi suntAuctores, & maxime P. Viva in Append. de Jubilæo.

Si Pęnitens in morte quomodolibet absolvatur, ipse, & Confessarius, qui pro eo onus præsentationis susceperat, liberi fiunt à tali præsentatione facienda: nam in mortis articulo tollitur omnis reservatio, & Confessarius qui est veluti Pœnitentis Procurator, habetur in hoc casu pro uno, & eodem.

Quod quidem intelligendum est, etiamsi Pænitens deinde convalescat. Nam hoc est discrimen inter Peccatum, & Censuram (quod est advertendum etiam pro iis, quæ §. seq. dice-

dicemus) ut si Peccatum non habeat adnexam censuram, qualia sunt omnia illa undecim enumerata pro Regularibus, absolutus à peccato in mortis articulo, si convalescat, non teneatur se præsentare Superiori, quia revera est ablatum peccatum, quod redire non potest; si autem Censura sit adnexa, absolutus in mortis articulo convalescens obligatur denuo ad præsentationem, & si non se præsentet, reincidit in eandem censuram.

Quæritur tandem, an præsentatio Prælato Regulari facienda sit non solum pro Reservatis intra Ordinem, sicuti sunt omnes illi undecim, Casus enumerati; sed etiam pro omnibus aliis reservatis Pontifici, quorum absolutionem jam diximus posse ex privilegiis dari à quolibet nostri Ordinis Confessario. In hoc sunt adversi Auctores. Non facile tamen improbanda est pars affirmativa. Nam illi Casus Papales nunquam desinunt esse casus reservati; & si eorum absolutio in ordine conceditur, tamen revera solis Prælatis conceditur, tamquam ipsis solis sint reservati. Ergo si Prælati committunt istorum absolutionem Confessariis subditis: isti Confessarii se gerere debent sicut in aliis reservatis Prælato: ut scilicet vel injungant Pænitentibus onus præsentationis, vel tale onus in se suscipiant.

§. 5.

Præsentatio pro Casibus Papæ reservatis

PRæsentatio pro Casibus Papæ reservatis afficit Sæculares, nam Regulares ob sua privilegia possunt ex dictis intra Ordinem absolvi. Unde Confessarius audiens istiusmodi Casus, quos non potest absolvere, debet Pænitentem commonere ut pro absolutione recurrat ad Pontificem, qui illorum absolutionem sibi reservavit. Verum quia ad Pontificem non est ubique facilis aditus, ideo de impedimentis, quæ circa hoc contingere possunt, consideratio est habenda.

Sciendum ergo, quod qui personaliter non potest Pontificem adire, neque tenetur literas, sive Nuncios mittere ad postulandam absolutionem, quia hoc non exigitur à Canonibus. Hoc autem posito, plura possunt esse impedimenta, quæ excusent à personali recursu ad Pontificem. Hæc autem sunt.

1. Periculum mortis in itinere, aut gravis incommodi incurrendi. 2. Infirmitas longa, etsi non periculosa, ut podagra &c. 3. Paupertas, quia nemo tenetur accedere mendicando, nisi alias mendicando viveret. 4. Ætas sive senilis, sive puerilis. 5. Fœmineus

mineus sexus. 6. Debilitas virium, cùm scilicet quis impar est pedibus itinerari, & modum non habet eundi in equo, vel curru. 7. Adstrictus alteri, idest qui sui juris non est, ut Servus Filiusfamilias cum non nisi cum præjudicio Domini, vel Patris Papam possint adire. 8. Cura animarum, vel temporale dominium, quando scilicet relinqui non potest sine gravi periculo animarum, vel boni communis. 9. Quodlibet aliud motivum judicio prudentis perpendendum.

Hæc, inquam, omnia sunt impedimenta, ob quæ Pœnitens excusatur à præsentatione facienda Pontifici. Sed tunc poterit ne sic impeditus à quocumque Confessario absolvi? Minime sed ab Episcopo juxta decisionem *c. Ea noscitur. De sentent. Excommunic.* & ab aliis habentibus delegationem absolvendi ab omnibus reservatis ad Episcopos. Verum cum hac distinctione, quod ita absolutus ab Episcopo si habeat impedimentum perpetuum, v.g. Monialis, Senex &c. eximitur, totaliter ab onere se præsentandi Pontifici. Si autem habeat impedimentum temporale, v.g. Filius Familias pauper &c. cessante illo impedimento, tenetur ad se præsentandum sub pœna reincidentiæ in censuram, ut habet *c. Eos qui. De sentent. Excommun. in 6.* aliique plures textus.

xtus. Excipitur impuber, qui factus puber non tenetur Papam adire, ſed ab Epiſcopo poteſt abſolvi à cenſuris ante pubertatem contractis, ut cavetur *c. Pueris. De ſentent. Excommunic.*

Num autem Regulares ſicuti Epiſcopi, poſſint taliter impeditos abſolvere à caſibus Bullæ Cœnæ, & aliis ſex caſibus Pontificiis, à quibus jam diximus illos abſolutè non poſſe abſolvere, pro utraq; ſententia certant ſatis graves Doctores. Sed mihi magis probatur affirmativa ob dicta ſuperius, de Privilegiis Regularium, quibus illis datur facultas abſoluta, circa reſrvata Sedi Apoſtolicæ. Nam etſi ab his excipiantur Caſus Bullæ Cœnæ, & alii ſex Caſus, hoc intelligitur uſquedum valeat illius exceptionis diſpoſitio, nimirum uſquedum Pœnitens poſſit Papam adire: qua poſsibilitate ideo ablata redit diſpoſitio juris communis; vel ſicut tunc non dicuntur amplius teſervati reſpectu Epiſcoporum, ita neque reſpectu Regularium, qui de ſe habent facultatem in reſervatis ad Pontificem.

Tandem quia quandoque urget neceſſitas abſolutionis impendendæ, v. gr. Filiofamilîas, qui alioquin notaretur infamiâ, quia ductus eſt ad Eccleſiam, ut accedat ad com-

munionem

munionem præ oculis habendum est *c. Nuper. De sentent. Excommunicat.* Quod omnibus similibus casibus favet, & timorem excedendi facultatem excludit. Dicitur enim ibi de casu reservato cum censura Pontifici: *Si difficile, sit ex aliqua justa causa, quod ad ipsum excommunicatorem absolvendus accedat, concedimus indulgendo, ut præstita juxta formam Ecclesiæ cautione, quod excommunicatoris mandato parebit, à suo absolvatur Episcopo, vel proprio Sacerdote.* Ubi nomine proprij Sacerdotis intelligitur Confessarius habens ordinariam, seu delegatam jurisdictionem, sicuti communiter etiam sic Proprius Sacerdos sumitur in *c. Omnis utriusque. De Pænit, & remiss.* & sicuti etiam ibi notat Glossa. Verum est autem quod taliter absolutus onus semper retinet juxta regulam supra datam se præsentandi Pontifici; unde per hoc vulgo à Moralibus appellatur absolutus *indirectè.*

§. 6.

Præsentatio pro Casibus Episcopo reservatis.

DAta proportione, eodem modo facienda est præsentatio Episcopis pro Casibus ipsis reservatis, ac dictum est de reservatis Pontifici,

fici. Solum dubitatur, an sicut in casibus etiam publicis reservatis Pontifici potest inferior Pontifice, idest Episcopus ab iis absolvere, sicut mox dicebamus, & hoc ne pro dilatione absolutionis immineat grave periculum animarum, ut communiter loquuntur Doctores: ita etiam possit inferior Episcopo, idest quilibet Confessarius deputatus in ejus Diœcesi absolvere irretitos à reservatis ipsi Episcopo, quando hi similiter sunt impediti, ne adeant Episcopum.

In hoc valet cum proportione data doctrina de Casibus Pontificiis, & solum est advertendum difficilius esse invenire impedimentum perpetuum, vel satis grave adeundi Episcopum, vel aliquem alium, qui ab Episcopo habeat facultatem super reservata, cum soleant Episcopi, sparsim in sua Diœcesi aliquibus Viris probatioribus hanc facile impertiri. Tamen si hoc impedimentum vere detur, dico similiter posse omnes Confessarios absolvere Pœnitentes in foro conscientiæ ab omnibus Peccatis, & Censuris Episcopo reservatis, cum onere tamen pœnitentis se præsentandi Episcopo, vel ejus Delegato, cessante impedimento. Et hoc quia militat, eadem ratio ac pro Casibus Pontificiis, ut consulatur scilicet periculo Animarum

marum. Hæc ſententia ſic moderata, non puto, reprobanda erit â Doctoribus, qui de hoc acerrime certant.

DE RECVRSV AD. S. POENITENTIARIAM.

CAPUT VII.

§. I.

Motiva hujus Recursûs.

PLura habent Regulares privilegia, ſed cum non in omnibus abſolvere poſſint, vel diſpenſare cum Sæcularibus, ideoque neceſſe ſit ad Pontificem habere recurſum, hinc aliqua pro tali recurſu deſcribam, ut ad manum ſemper poſſint haberi.

Inſcripſi hoc Caput de Recurſu ad Sacram Pœnitentiariam, I quia hoc eſt Tribunal à Pontifice inſtitutum ad diſpenſandum, vel abſolvendum in iis, quæ ipſi Pontifici reſervantur.

Multa ſunt, in quibus ad Sacram Pœnitentiariam eſt recurrendum, & multa etiam poſſunt eſſe motiva, ob quæ faciendus ſit talis recurſus: alioquin enim ſine ullo motivo juſto nullum reſcriptum favorabile impetraretur. I. In

I. In Votis, v. gr. in Voto Religionis ob inopiam Parentum, aut Fratrum, ob defectum dotis, ob debilitatem virium, vel ob periculum incontinentiæ. II. In impedimentis occultis Matrimonii, sive sint tantum impedientia, sive etiam dirimentia; sive Matrimonium sit contractum, sive contrahendum, modo impedimenta sint occulta. Dicuntur autem occulta cum ad forum contentiosum non sunt deducta, licet sint uni, vel alteri nota: similiter cum ob diuturnitatem temporis, aut distantiam à loco, in quo contractum est Matrimonium, jam oblita sunt, vel ignorantur. III. In Censuris, & Irregularitatibus maxime si hæc sint occulta. IV. Ad condonandam restitutionem debitam ob omissionem horarum Canonicarum. V. Ad commutandum onus recitationis horarum canonicarum pro simpliciter Beneficiatis. VI. Ad eligendum Confessarium pro resevatis. VII. Ad transeundum ad alium Ordinem pro utroque foro, etiam post Apostasiam à suo. Et in similibus.

In quibus autem Regulares absolvere, vel dispensare possunt juxta dicta à nobis in prioribus Capitibus, non est cur ad S. Pœnitentiariam fiat recursus.

§. 2.

§. 2.

Modus recurredi,

CONfessarius, qui pro Pœnitente recursum habet, extendere debet casum, pro quo petitur dispensatio, vel absolutio, in forma epistolæ sive lingua latina, sive quacumque alia lingua vulgari & epistolam dirigere Majori Pœnitentiario.

Advertendum vero maxime ut juxta sinceram veritatem, & cum debitis, & necessariis circumstantiis casus exponatur, alioquin rescriptum nihil valeret. Cavendum etiam, ut si casus est occultus, non exprimatur nomen, nec cognomen Pœnitentis, sed nomine fictitio, aut litteris N.N. potest appellari. Exemplum Epistolæ sit hoc

Eminentissime, & Reverendissime Domine N. N. Mulier emisit Votum castitatis perpetuæ, sed cum adsit, vel futurum esse prævideat periculum incontinentiæ, humillime supplicat pro dispensatione ad effectum nubendi.

Deinde terminet epistolam sic: *Dignetur Eminentia vestra rescribere ad N. N.* & hic exprimat nomen, & cognomen sui ipsius, vel alterius Confessarii, cui responsum Pœnitentiariæ sit mittendum) *ad Civitatem N.* (& hic

 expri-

exprimat nomen Civitatis vulgariter) *per Oppidum N.* & exprimat nomen Oppidi, si tamen Epistola sit de Civitate in Oppidum, transferenda.

Quia vero, uti dicemus, responsa Pœnitentiariæ mittuntur quidem ad illum, qui se in epistola nominavit, sed Breve postea concessionis dirigitur ad aliquem Doctorem, vel graduatum ut ipse aperiat, absolvat vel dispenset, ideo sic quoque in epistola est subjungendum: *Dignetur etiam Gratiam, seu Breve dirigere alicui Doctori, vel Magistro, ex iis qui sunt in hac Civitate, vel Oppido*; & non est cur nomina istorum exprimat: vel si ex istis nullus ibi inveniatur, hoc dicat, ut vel ad Parochum, vel ad simplicem etiam Confessarium Breve dirigatur. Similiter si adsint, & Pœnitens confidentiam non habeat aperiendi illis suam conscientiam.

Foris autem sic inscribatur Epistola latino, vel vulgari sermone.

Eminentissimo, & Reverendissimo
Domino Domino
Cardinali Majori Pænitentiario. Romam.

Et tardante responso, Confessarius rescribat, ne forte literæ sint deperditæ.

§. 3.

§. 3.

Cautela in Rescriptis.

IN Rescriptis S. Pœnitentiariæ aliquæ conditiones, sub quibus gratia absolutionis, vel dispensationis conceditur, sunt perpendendæ. Hæ autem conditiones tales esse solent.

Primo: *Si ita est* vel *Quatenus si ita est*, scilicet si Casus exposit9 vere habeat illas circumstantias in missa epistola explicatas, tempore maxime quo remittitur Pœnitentiariæ rescriptum. Hoc autem intelligitur de circumstantiis substantialibus, v.g. *Periculum incontinentiæ*, *Affinitas contracta*, *Periculum revelationis impedimenti*, *infamiæ*, *&c.* nam istæ sunt veræ causæ motivæ concessionis. Non autem intelligitur de accidentalibus, quæ sunt veluti causæ tantum impulsivæ, v. g. quod Matrimonium sit contractum bona fide &c.

Secundo addi solet: *Si sit periculum revelationis*, idest Impedimenti in Matrimonio, vel alterius Casûs occulti, ad quod sufficit periculum probabile. Idem intelligitur cum additur: *Si sit periculum scandali.*

Tertio in impedimentis dirimentibus Matrimonium additur: *Ut dicta Muliere de nullitate prioris consensus certiorata &c.* quod scilicet

debeat, inter Conjuges elici novus conſenſus ob nullitatem prioris, ita tamen ut alter Conjux in cognitionem non veniat occulti impedimenti. Quod fieri poteſt vel per ſigna, vel per verba, v. g. Numquid ſi Matrimonium non contraxiſſemus, adhuc ne illud inire vellemus? Vel tandem, ſi in hoc revelationis eſſet periculum, per copulam novo affectu maritali conſummatam.

Quarto additur: *Si ſatisfecerit*, ideſt non poſſit Pœnitens abſolvi, vel diſpenſari, niſi ſatisfactionem dederit cui danda eſt, v.[g. Clerico percuſſo, compenſando iniuriam, expenſas &c.

§ 4.

Cautela in Executione Abſolutionis &c.

SAcræ Pœnitentiariæ reſcriptum ita dirigitur: *Diſcreto Viro Confeſſori, Magiſtro in Theologia, vel Decretorum Doctori, ex approbatis ab Ordinario per Latorem præſentium ab infraſcripto ſpecialiter eligendo.*

Ex quo eruitur, Executorem Conceſſionis à S. Pœnitentiaria non poſſe quemlibet eſſe, neque regulariter illum Confeſſarium, qui ad poſtulandam gratiam ſcripſit. Illud tamen eſt verum

rûm in rigore, quod si etiam litteræ illæ aperirentur, & executioni mandarentur ab aliquo Confessario simplici, non propterea proprio effectu, & valore carerent.

Debet igitur talis Executor esse non solum Doctor, vel Magister &c. sed etiam Confessarius approbatus ab Ordinario. Non nominatur autem expresse proprio nomine, unde in libertate erit Pœnitentis eligere quem ipse velit,

Est Privilegium Gregorii XIII. in sua Constit. 75. *Exponi Nobis* factum Societati Jesu, & omnibus Mendicantibus communicatum, ut scilicet hujusmodi Regulares Confessarii possint Executores esse Literarum S. Pœnitentiariæ. Verum cosultum est, ut habeant ad hoc specialem licentiam à suo Prælato.

Executor hujusmodi debet dispensare in ipsa Confessione, vel immediate post. Debet cognoscere causam Pœnitentis, cum quo est dispensandum, si id Breve Pœnitentiariæ exigat. Potest moderare, non tamen penitus tollere opera injuncta pro Pœnitentia.

Ad formam hujusmodi Dispensationis, seu Absolutionis, etsi certa verba non præscribantur, tamen servanda est forma à Rituali Romano probata. Unde post absolutionem à peccatis, sic est addendum: *Eadem auctoritate de-*

claro,

claro, te in tuo Matrimonio manere, reddere, & petere posse debitum &c. In nomine Patris &c.

Passio Dñi nostri Jesu Christi &c.

Vel in Impedimento V.G: Criminis post absolutionẽ à peccatis sic addendum est: Insuper Authoritate Apostolica dispenso tecum super Impedimento Criminis, ut cum priori putativo tuo Conjuge Matrimoniũ prævia renovatione mutui consûs contrahere & consumare valeas In Nomine Patris &c. Passio Domini Nostri Jesu Christi &c. Vel in Impedimento Consagvinitatis aut Affinitatis: Insuper Authoritate Apostolica mihi specialiter quoad hoc delegata dispenso tecum super Impedimento (Consangui nitatis vel Affinitatis) ut illo non obstante prævia renovatione prioris consensûs, Matrimonium Secretè contrahere . ac consummare valeas. Pariter eadem Authoritate Apostolica prolem susceptam, si quæ sit, vel suscipiendam legitimam esse, & fore declaro. In Nomine Patris &c. Passio Domini nostri Jesu Christi &c.

Absolutione, vel Dispentione habita lacerandæ sunt litteræ, & præcipuè Sigillum, nè unquam pro Foro externo inservire possint, aliter incurreretur Excommunicatio major. Smiliter hanc Excommunicationem incurreret,

ret, qui pro tali Dispensatione, vel Absolutione aliquid etiamsi liberaliter, datum acciperet.

Forma dispensationis post Absolutionem à peccatis danda pro eo, qui amisit Jus petendi conjugale ob cognitionem Consanguineæ sui Conjugis in primo vel secundo gradu, ubi supra dictum est Cap. IV. §. 3.

Et insuper Authoritate Apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum, ut non obstante Affinitate, quam contraxisti cum Conjuge tua ex illicita copula à te habita cum ejus (Matre vel Patre &c.) debitum Conjugale à tua Conjuge etiam exigere licitè possis ac valeas. In Nomine Patris &c. Passio Domini nostri Jesu Christi &c.

Forma Absolutionis Tempore Jubilæi.

Misereatur &c. Indulgentiam &c.

DOminus noster JESUS Christus per suam pijssimam Misericordiam te absolvat, & ego de Potestatis Apostolicæ plenitudine mihi pro hac vice concessa, absolvo te, quatenùs

nùs possum & debeo, ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis (si in Sacris est) & Interdicti, si quod incurristi. Et eadem Authoritate absolvo te, ab omnibus peccatis tuis: Iterum absolvo te ab omnibus pænis in Purgatorio debitis, & Indulgentiam tibi concedo plenissimam virtute hujus Sancti Jubilæi. In Nomine Patris &c.

Passio Domini Nostri J E S U Christi &c.

ABSOLUTIO GENERALIS

QUæ Fratribus & Sororibus Tertij Ordinis S. P. Francisci impertienda est in Festis: Domini Nativitatis, Epiphaniæ, Cænæ Domini, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes: B.V. Mariæ Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, & Immaculatæ Conceptionis, SS. Apostolorum Petri & Pauli, S.P.N. Francisci, S. Claræ, Omnium Sanctorum, S. Matris *Elisabeth*, S. Catharinæ V. & M. per totam Octavam; & quater in anno seu in quatuor Temporibus, & in Articulo mortis, aut publicè à P. Directore Tertiariis congregatis, aut in particulari, post Confessionem Sacramentalem à quolibet Confessario approbato, prout declaravit Benedictus XIII. P. M. in Bulla Paterna Providentia 10. Decembris, 1725. edita si autem ad manum

sint.